
ALICIAE
PER SPECULUM
TRANSITUS





EODEM AUCTORE

ALICIA
IN TERRA MIRABILI

LUDOVICI CARROLL

FABELLA LEPIDA IN QUA

ALIUD ALICIAE SOMNIUM NARRAVIT

ALICIAE
PER SPECULUM
TRANSITUS

(QUAEQUE IBI INVENIT)

LATINE REDDITA

CLIVE HARCOURT CARRUTHERS

LONDINI NOVI EBORACI ET ALIBI

MACMILLAN PRELOQUE

S. MARTINI

MCMLXVI

MACMILLAN AND COMPANY LTD
Little Essex Street London WC2
also Bombay Calcutta Madras Melbourne

THE MACMILLAN COMPANY OF CANADA LIMITED
70 Bond Street Toronto 2

ST. MARTIN'S PRESS INC
175 Fifth Avenue New York NY 10010

Library of Congress catalog card no. 66-16967



Printed in Great Britain by Richard Clay (The Chaucer Press), Ltd.,
Bungay, Suffolk

Fronte serena parvula,
Et admiranti vultu!
Fugit aevum, at interea
Dispares sumus natu;
Subridens tamen fabulam
Amanter audi praebitam.

Non novi vultu laeto te
Nec hilare ridentem;
Memoria non tenebis me
Aetatem per sequentem.—
Sed satis est si nunc meam
Vis auscultare fabulam.


Incepta olim fabula
Procul, per solem clarum —
Concentu data regula
Ad modulum palmarum —
His resonat memoria
Etsi aetas vetat invida.

Me ergo audi, priusquam
Vox dira, spirans saevum,
Citabit mox puellulam
Ad lectum omne in aevum!
Et nunc provectos annis nos
Adire piget lectulos:

Nix extra caecans, impetus
Gelus et furor flatus —
At calor foci hic intus
Et nidus pullis gratus.
Tu verba maga diliges,
Nec ventos saevos senties.

Cum paulum inter fabulam
Suspirii lenis sonet,
Quod iam aestatis gloriam
Iucundae isse monet —
Non tanget hoc miseria
Fabellam suavem anxia.

INDEX CAPITUM



CAPUT PRIMUM

DOMUS INTRASPECULARIS

Hoc utique certum fuit, catulam felinam *albam* nullo modo negotio implicatam esse: catula nigra rei auctor sola fuit.

Nam catulae albae faciem proximam quartam horae partem feles vetula lavabat (quod, contra quam exspectare possis, illa satis toleranter ferebat); non omnino igitur ea lasciviae particeps esse potuit.

Hoc modo Dina facies catularum lavabat: primo altero pede aurem misellae depremebat, deinde altero pede in contrariam partem, a naso incipiens, faciem eius totam fricabat.

Iam tunc, ut dixi, industrie detergebat catulam albam, quae, quietissime iacens, murmur emittere conabatur, quasi id beneficio sibi fieri intellegeret.

At catulae nigrae lavatio aliquanto prius absoluta erat. Itaque, dum Alicia in angulo cathedrae magnae deses recumbit,



somniculoseque interdum sibi loquitur, catula animo alacri glomere lanae hilariter ludebat, quod Alicia in orbem glomerare conata erat.

Hoc ultro citroque volutabat donec totum resolutum est. Sic per totum stragulum in nodos nexusque explicatum est; atque in medio catula caudam suam consectabatur.

'Tu vero, mea parvula, es improbissima!' Alicia exclamavit. Catulam arripuit, et ad eam dedecore notandam osculum ei dedit.

'Dinam quidem oportuit te mores probiores docere! Re vera, Dina, tute scis te id facere oportuisse!' addidit. Felem vetulam

culpantis modo intuita, voce quantum potuit iracunda facta locuta est.

Deinde, catula lanaque arreptis, rursus in cathedram escendit, et filum iterum glomerare coepit.

Sed rem tardius confecit, quod perpetuo, modo catulae, modo sibi loquebatur.

Catula in genu eius verecunda sedit: simulavit se opus glomerandi spectare, et interdum pede uno protruso glomus molliter attingebat, quasi adiuvare gauderet si posset.

'Scisne qui dies festus cras futurus sit, mea Catula?' Alicia dicere coepit. 'Si mecum iuxta fenestram fuisses, id coniectavisses — at, cum Dina te nitidam faceret, non potuisti.'

'Pueros spectabam, qui ad incendium festum lignabantur — et lignis multis, mea Catula, opus est! Sed tantum frigus fuit, tantumque ninxit, ut eis desinere necesse fuerit.'

'Nihilominus, mea Catula, cras ibimus ad incendium festum spectandum.'

Hic Alicia lanam bis terve circum collum catulae torsit, tantummodo ut speciem talis rei videret. Inde concursatio subita facta est: glomere in solum devoluto, plurimum lanae iterum resolutum est.

Simul ac rursus quiete consederunt, Alicia porro dixit: 'Catula mea, cum omnia mala viderem quae feceras, tam irata scilicet fui ut non multum abesset quin fenestra aperta te in nivem extruderem! Et id quidem promeruisses, deliciolae lascivae!'

'Quo modo te excusare potes? Ne me interpellaveris!' uno digito sublato porro eam admonuit. 'Omnia delicta tua volo enumerare.'

'Primo: vagitum bis edidisti, cum Dina faciem tuam hodie mane lavaret. Hoc negare non potes, Catula mea; nam te audivi. Quid dicis?' (Catulam loqui simulavit.) 'Pedem suum in oculum tuum infixit? Culpa videlicet tua erat, quod oculos apertos tenuisti: si eos arte clausisses, id non accidisset. Noli te amplius excusare: auscultadum!'

'Secundo: Galantham cauda detraxisti commodum cum patellam lactis ante eam posui! Quid? Sitiisti vero! Quomodo scis eam quoque non sitiisse?'

'Tertio item: me nescia totum glomus lanae resolvisti!'

'Ecce tria delicta, mea Catula; atque nondum poenas cuiusquam dedisti. Scito me poenas omnes tuas ad proximum nundinum seponere — Quid si castigationes omnes *meae* dilatae essent!' porro sibi magis quam catulae dixit.

'Extremo anno quid vero fiat? Tempore constituto, opinor, in carcerem condar. Aut si forte poena quaeque sit cena carere, ergo, cum dies infelix adveniat, quinquaginta simul cenis mihi carendum sit! Id quidem mihi non molestum sit! Multo potius velim tot cenis carere quam eas edere!'

'Audisne nivem specularia ferientem, Catula mea? Quam levis et mollis est sonitus! Sonat velut si quis totam fenestram extrinsecus oscularetur. Nescio an forte nix arbores agrosque amet, eoque eis oscula tam tenera ferat.'

'Deinde scilicet omnia lodice candida placide velat; et fortasse eis dicit, "Dormitate, deliciae, dum aestas revenerit." Et cum aestate experrecta sunt, Catula mea, omnia habitu viridi se vestiunt, choreisque indulgent — quandocumque ventus flat —'

'Oh, quam id est venustum!' Alicia inquit. Glomus lanae deiecit, et manibus plausum fecit.

'Et utinam quidem id verum esset! Silvae certe autumno semisomnae mihi videntur, cum folia flavescunt.'

'Catula mea, scisne lusum latrunculorum ludere? Noli, sis, subridere, deliciae, nam serio rogo. Cum enim modo luderemus, aeque attente spectavisti ac si lusum intellegeres. Et cum dixi "Trade te!", murmur edidisti!'

'Traditio quidem bene effecta est, et vincere vero potui, nisi ille molestissimus Eques oblique inter latrones meos descendisset. Catula mea, simulemus —'

Hic velim me vobis referre posse dimidium eorum dictorum quae Alicia verbo illo suo 'Simulemus' inchoare soleret.

Modo die proximo cum sorore sua diutissime disputaverat, quod initio Alicia dixerat, 'Simulemus nos esse reges et reginas.' Soror eius, cuius erat accurate loqui, id fieri non posse arguerat, quod tantum duae essent. Alicia ad extremum eo redacta erat ut diceret, 'Ergo tibi licet uni eorum esse, ego autem omnes ceteri ero.'

Olim autem nutricem anum suam valde exterruerat, quod inopinato in aurem ei clamavit 'Nutrix! Simulemus, te oro, me hyaenam esurientem, teque os esse!'

Redeamus tamen ad ea quae Alicia catulae dixit.

'Simulemus te esse Reginam Rubram, Catula mea! Mihi vero videtur te, si brachiis conexis erecta considas, eius simillimam fore. Ergo hoc, amabo, experire!'

Alicia ab mensa Reginam Rubram sublatam ante catulam posuit, ut exemplar quod haec imitaretur. At inceptum irritum fuit, praecipue (ut Aliciae opinio erat) quod catula brachia recte conectere nolebat.

Itaque, castigationis causa, ante Speculum eam sustulit, ut haec videret quam esset contumax. 'Et nisi te bene moratam statim praebebis, in Domum Intraspecularem te protrudam. Num id tibi placeat?'

'Nunc, Catula mea, si modo vis attente auscultare nec tantum loqui, tibi dicam omnia quae de Domo Intraspeculari sentio. Primo, conclave est quod per speculum videre potes — idem est atque atrium nostrum, at omnia in contrariam partem conversa sunt.'

'Cum in sellam scando, id omne videre possum — praeter eam partem post ipsum focum iacentem. Utinam quidem illam partem possim videre!'


'Magnopere volo scire num illi igni in foco hieme utantur: diiudicari enim non potest, nisi focus noster fumat, fumusque etiam in eo conclavi cooritur — sed hoc fortasse tantum simulatur, ut species ignis ibi reddatur.'

'Libri autem paulum similes nostrorum sunt, sed verba eorum

in contrariam partem versa sunt. Id scio, quod, cum quemdam nostrorum librorum ad speculum tollo, illi in altero conclavi librum tollunt.'


'Gratumne tibi sit in Domo Intraspeculari habitare, Catula mea? Demiror si tibi lac eo loco detur. Fortasse lac Intraspeculare potabile non est.'

'Nunc autem, Catula mea, de introitu domus consideremus. Paululum modo introitus in Domo Intraspeculari conspicere possis, si fores atrii nostri late apertas relinquas. Hic simillimus



est introitus nostri, quantum conspicere possis. Sed multum dissimilis esse potest, si ultra eas.'

'Quantum placeat, Catula mea, si modo in Domum Intraspecularem penetrare possimus! Res bellissimae, credo, in ea sunt.'



'Simulemus modum eo aliquo modo penetrandi esse. Simulemus vitrum molle factum esse, velut textile tralucidum, ita ut penetrare possimus. At iam nunc in nebulam quamdam certe mutatur! Facile quidem erit penetrare —'

Dum haec dicit, sublime in pluteum supra focum sublata est;

vix tamen sensit quo modo eo pervenisset. Vitrum sine dubio dissolvi incipiebat, velut nebula lucida et fulgida.

Alicia statim per vitrum transiit, atque in conclave Intraspeculare leviter desiluit. Primum circumspexit, ut videret num ignis in foco esset. Gavisa erat ignem verum esse, tamque clare flagrare quam eum quem ipsa reliquisset.

'Itaque hic aeque calida ero atque in conclavi altero fui,'



Alicia secum reputavit; 'calidior vero, quod nemo hic obiurgando me prope ignem esse vetabit. Quantus erit iocus, cum me hic ultra vitrum videbunt, neque ad me accedere poterunt!'

Deinde circumspectare coepit, atque animadvertit omnia quae a conclavi altero conspici possent communia et cotidiana esse, cetera autem omnia maxime dissimilia esse.

Exempli gratia, tabulae pictae in pariete iuxta focum vivae esse visae sunt: et horologium ipsum in pluteo situm (nempe solum partem posteriorem in Speculo videre possis) faciem quasi viri vetuli habuit. Rictu eam ridebat.

'Hoc conclave non est tam bene dispositum quam alterum,' Alicia secum reputavit. Animadvertit enim complures latrunculorum in foco inter cineres esse.

Sed subito mirata exclamavit; in genua manusque procubuit ut eos spectaret. Latrunculi enim bini simul deambulabant!

'Ecce Rex Ruber et Regina Rubra,' Alicia susurravit, ne eos terreret, 'et ecce Rex Albus et Regina Alba in margine batilli sedentes, et ecce duo Castella manibus iunctis ambulantia.'

Capite propius apposito, porro dixit: 'Me audire, opinor, non possunt, et paene pro certo habeo eos me videre non posse. Nemo, puto, me cernere potest —'

Hic vagitus quidam in mensa fieri coepit. Alicia, capite cito adverso, unum Latrunculorum Alborum devolutum calces iactare incipere vidit. Curiose spectavit ut videret quid deinde eventurum esset.

'Vox est meae filiae!' Regina Alba exclamavit. Praeter Regem tam vehementer cucurrit ut eum inter cineres subverterit. 'Mea Viola suavissima! Meae deliciolae imperatoriae!' Sursum in saepimentum foci raptim scandere coepit.

'Nugae imperatoriae!' Rex inquit. Nasum suum fricebat, qui casu eius laesus est. Iure quidem paulum irritatus est; nam cineribus totus aspersus est.

Alicia eos adiuvare multum cupivit. Cum misella Viola ululando paene convulsionibus afficeretur, Reginam cito sublatam in mensam iuxta filiolam clamosam posuit.

Regina, anhelitu ducto, consedit. Itinere rapido per aerem prorsus exanimata, aliquamdiu solum parvam Violam silentio amplecti poterat. Simul ac spiritum paulum recepit, Regi Albo, qui inter cineres morosus sedebat, clamavit, 'Cave montem igniferum!'

'Quem montem igniferum?' inquit Rex. In focum suspexit quasi putaret eum ibi vero facillime inveniri posse.

'Vi flaminis — sursum — sublata sum,' Regina anhelans dixit.

Etiam exanimata fuit. 'Cura ut — usitato modo — sursum venias — noli vi flaminis tolli!'

Alicia Regem Album contuita est, cum is ab alio transtro ferreo ad aliud lente aegreque scanderet. Postremo dixit, 'Sic nempe horis multis ad mensam non accedes. Nonne multo melius sit si te adiuvem?'

At Rex rogatum plane neglexit: manifestum fuit eum neque audire eam neque videre posse.



Alicia igitur eum molliter sublatum lentius quam Reginam transtulit, ne exanimaretur. Ante tamen quam eum in mensam posuit, se eum paulum detergere debere statuit, quod cineribus opertus est.

Postea fata est se numquam vidisse quemquam os similiter ac Regem distorquere, cum se manu caeca in aere teneri ac detergeri sentiret.

Magis attonitus est quam ut exclamaret: os ei usque maius et rotundius fiebat, donec manus Aliciae risu tantum vacillavit ut eum paene in solum manu demitteret.

'Mi amicule, noli, amabo, faciem sic distorquere!' exclamavit. Plane oblita est Regem se audire non posse. 'Ridere me cogis sic ut te tenere vix possim! Noli autem os tam late apertum tenere. Cineribus enim suffocaberis! — nunc tandem, opinor, satis nitidus es,' addidit.

Capillisque compositis eum in mensam prope Reginam curate posuit.

Rex statim supinus cecidit et quietissimus iacuit. Alicia, eo quod ipsa fecerat animo paululum perturbata, circum conclave aquam quaesivit quam ei iniceret.

Nihil tamen praeter ampullam atramenti reperire potuit. Cum, ea prehensa, rediisset, invenit eum recreatum esse atque cum Regina susurro timido colloqui — voce tam submissa ut Alicia dicta eorum audire vix posset.

Rex dicebat: 'Ad extremos barbae pilos scilicet, deliciae meae, perfrixi!'

Ad hoc Regina respondit: 'Barba tibi non est.'

'Horroris illius rei,' Rex porro dixit, 'numquam omnino obliviscar!'


'Oblivisceris tamen vero,' Regina inquit, 'nisi de eo perscriptionem facies.'

Cum Rex ex sinu codicem ingentem extraheret atque scribere inciperet, Alicia attente eum contemplata est. Tum, cogitatione subita impulsa, stilo extremo apprehenso qui supra umerum eius porrectus est, loco eius scribere coepit.

Rex infelix vultu turbato et misero stilum regere aliquamdiu silentio conixus est. Sed, cum Alicia validior eo esset, postremo cum anhelitu dixit, 'Deliciae meae, mihi necesse est stilum magis tenuem adipisci. Hunc omnino non regere possum; plurima scribit quae in animo non habeam —'

'Qualia scribit?' inquit Regina. Codicem perscrutata est. (In eo Alicia scripserat, 'Eques Albus de ferramento foci prolabitur. Se pessime librat.') '*Tuos* in sensus illud non est commentarium!'

Liber quidam in mensa prope Aliciam iacebat. Dum Regem Album sedens spectat (nam etiam tunc de eo anxia erat, atque atramentum paratum habebat ad iaciendum in eum, si forte



iterum sensu careret), paginas vertit ad inveniendum aliquid quod legere posset.

'Omne enim lingua mihi ignota scriptum est,' sibi dixit. Sic scriptum est.

TAETRIFEROCIAS

Hora coctava per protiniam teremeles
Limagiles teretant et quoque gyrirotant;
Sunt tenuiscopi macrilli; saepeque virci
Edomipali etiam vocibus eruditant.

Hoc aliquamdiu mente turbata est, sed denique cogitatio acuta animum eius subiit. 'Enimvero est liber Intraspecularis! Si eum ante speculum ponam, verba rursus recte invertentur.'

Hoc fuit poema quod Alicia legit.

TAETRIFEROCIAS

Hora coctava per protiniam teremeles
  Limagiles teretant et quoque gyrirotant;
Sunt tenuiscopi macrilli; saepeque virci
  Edomipali etiam vocibus eruditant.

'Semper fac caveas, mi fili, Taetriferocem,
  Morsu qui laniat, unguibus et lacerat!
Te procul incursu volucris recipe orbiiubatae,
  Devitaque itidem silvirapum frumium!'

Dextra vorpalem gladium tunc vibrat et effert:
  Hostem dirificum quaeritat ille diu —
Arborem iners prope tumtumiam stans tum requiescit,
  Secum paulisper res varias reputans.

Dumque manet, conceptaque mente subarvia fingit,
  Taetriferox, flammas eiciens oculis,
Per silvam blaterans argutat turmidulosam,
  Et propius veniens burbulat assidue.

'Hoc cape! Et id cape!' Sic penitus per Taetriferocem
  Vorpalem gladium perniciens adigit!
Prostratum sic exanimumque deinde relinquit,
  Et capite arrepto cursiovans revenit.

'Tune offerre necem quivisti Taetriferoci?
  Te sine complectar, praehilaris iuvenis!
Tempus vero laudificum! Dic "Euge, triumphe!"'
  Ingenio elatus laetitia fritulit.



Hora coctava per protiniam teremeles
  Limagiles teretant et quoque gyrirotant;
Sunt tenuiscopi macrilli; saepeque virci
  Edomipali etiam vocibus eruditant.

'Poema venustissimum esse videtur,' dixit, ubi id perlegit, 'sed difficilius intellectu est.'

(Noluit scilicet etiam sibi confiteri se omnino non id interpretari posse.)

'Nescio quo modo mentem meam cogitationibus complere videtur — sed non satis scio quae sint! Attamen *aliquis* interfecit *aliquid*: id quidem constat —'

Alicia subito exsiluit. 'Sed attendedum!' sibi dixit. 'Nisi properabo, per Speculum retro mihi redeundum erit antequam videro qualis reliqua domus sit. Hortum primo spectem!'

Statim ex conclavi excessit. Scalis cito decurrit — non saltem re vera cucurrit, at sibi visa est modum novum scalis celeriter et facile descendendi invenisse. Digitis extremis in tignum manuale appositis, modo leviter defluitavit, neque gradus quidem pedibus tetigit.

Deinde per transitum porro fluitavit: perque fores simili modo exiisset, nisi postem ianuae comprehendisset.

Per aerem volitans vertiginosa facta est, atque sentire gavisa est se rursus usitato modo ingredi.

CAPUT SECUNDUM

FLORUM HORTUS ANIMANTIUM

'HORTUM multo melius circumspiciam,' Alicia sibi dixit, 'si ad summum tumulum illum pervenire possim. Ecce semita quae illuc recte fert — immo vero non illuc tendit —' (in semita paulum progressa, flexibus compluribus et subitis declinavit), 'sed ad postremum, opinor, eo feret.'

'At quam mire torta est! Similitudinem magis terebrae quam semitae praebet! Hice ergo flexus, opinor, ad tumulum fert — non, haud ita est! Recte rursus ad domum fert! Esto, in partem contrariam semitam sequar.'

Ita vero fecit. Ultro et citro palata est. Postquam in calle compluries flexa est, semper ad domum reversa est, quamvis omnia conaretur. Semel vero cum celerius solito in flexum se vertit, in domum incurrit priusquam se sistere posset.

'Disceptare nihil proficiet,' Alicia dixit. Domum suspexit, et illam secum disputare simulavit.

'Sane nondum rursus intrabo. Scio enim fore ut mihi per Speculum in vetus conclave redeundum sit, atque deinde nullis amplius rebus miris fruar!'

Itaque, tergo ad domum constanter verso, rursus in semita processit: certum ei fuit recte progredi dum ad tumulum perveniret. Paulum quidem temporis omnia bene cesserunt; commodum dicebat 'Nunc vero rem feliciter conficiam —', cum semita necopinato flexa se quassavit (ita enim postea rem interpretata est). Confestim se re vera ianuam intrare comperit.

'Hoc quidem molestissimum est!' exclamavit. 'Domum numquam vidi quae magis impedimento sit! Numquam vero!'

Tumulus autem etiam plane in conspectu erat; itaque operam

repetere eam oportuit. Nunc ad magnam aream floribus consitam pervenit. In medio salix, circum marginem bellides crescebant.

'O Lilium Tigrinum,' Alicia lilium quoddam allocuta est, quod vento lepide vacillabat, 'velim quidem te loqui posse!'



'Nos loqui vero possumus,' inquit Lilium, 'si quis adest qui dignus colloquio sit.'

Alicia tantum mirata est ut paulum temporis loqui non posset: respirare vero vix potuit. Tandem, cum Lilium modo usque vacillaret, iterum voce timida — paene susurro — locuta est. 'Possuntne ergo omnes hi flores loqui?'

'Tam bene quam tu potes,' Lilium dixit. 'Et voce multo clariore.'

'Nempe urbanum non est nos initium loquendi facere,' Rosa dixit. 'Et mirabar vero quando tu locutura esses. Mecum reputavi "Facies eius aliquid prudentiae habet, quamquam sollertis non est." Colore tamen apto es; id multum valet.'

'De colore mea non interest,' Lilium dixit. 'Si paulo magis cirri eius flexi essent, idonea esset.'

Reprehendi Aliciae displicuit; itaque rogitare coepit. 'Nonne aliquando timetis, cum hic in aperto plantatae sitis, nec quem custodem habeatis?'

'Arbor in medio illa nos custodit,' Rosa dixit. 'Cui alii bono est?'

'At si periculum adveniat, quid illa facere possit?' Alicia rogavit.

'De ea re se delibrare statuere possit,' Rosa inquit.

'Stipendium nobis offerre possit,' Bellis quaedam dixit, 'quod fere salicis stipes pendet!'

'Nonne *illud* scivisti?' Bellis alia exclamavit. Hic omnes universae clamare coeperunt; aer vocibus pusillis acutisque confertus esse visus est.

'Tacete, vos cunctae!' Lilium clamavit. Utroque se ardenter iactavit, ac perturbatione animi contremuit. 'Sciunt illae me in eas impetum facere non posse!' capite tremente ad Aliciam verso, cum anhelitu dixit; 'aliter sic agere non auderent!'

'Noli id aegre ferre!' Alicia blande dixit. Inclinataque ad bellides, quae clamorem redintegrabant, susurro dixit, 'Nisi conticescetis, vos carpam!'

Statim silentium fuit, et aliquae rosearum bellidum colore albo factae sunt.

'Id vero ita est!' inquit Lilium. 'Bellides pessime omnium se gerunt. Quandocumque una loquitur, omnes simul incipiunt. Ita autem agunt ut paene marcidam te reddant!'

'Quo modo fit ut vos omnes tam bene loquamini?' inquit

Alicia. Speravit se Lilium laudando mitius esse facturam. 'Hortos multos antehac visitavi: sed flores nulli in eis loqui poterant.'

'Manu demissa tange humum,' inquit Lilium. 'Tum causam intelleges.'

Quo facto, Alicia dixit: 'Humus valde dura est; sed nescio quanti id ita esse intersit.'

'In plerisque hortis,' Lilium inquit, 'sedes florum nimium molles fiunt; flores ergo semper dormiunt.'

Res sic optime explicari visa est; et Alicia id scire gavisa est. 'Illud mihi numquam antea in mentem occurrit!' dixit.

'Ut opinio *mea* fert, *omnino* nihil tibi umquam in mentem occurrit,' Rosa severius dixit.

'Numquam vidi quemquam qui speciem stupidiorem praeberet,' Viola quaedam tam inopinato dixit ut Alicia trepidaret: nam prius illa non locuta erat.

'Tute tace!' Lilium exclamavit. 'Quomodo *tu* quempiam videre possis? Caput tuum sub foliis abdis, et ibi usque stertis, neque magis scis quae circa fiant quam si calyx esses!'

'Suntne alii praeter me in horto?' Alicia, proximo Rosae dicto neglecto, rogavit.

'In horto est una alia animans quae tuo modo moveri potest,' Rosa dixit. 'Demiror quomodo id facias —' ('Tute semper demiraris,' Lilium dixit.) 'Sed magis fruticosa est quam tu.'

'Similisne mei est?' Alicia studiose rogavit. In mentem enim ei occurrit 'Alia puella alicubi in horto est!'

'Forma sane illepida, aeque ac tu, est,' inquit Rosa; 'sed rubrior est, et folia eius, opinor, breviora sunt.'

'Folia eius arte composita sunt, fere similia paeoniae,' Lilium interpellavit; 'non sunt, ut tua, quoquoversus confusa.'

'Id tamen non *tua* culpa fit,' Rosa comiter addidit. 'Tu scilicet marcescere incipis — inde necesse est folia tua incomposita fieri.'

Hoc Aliciae non omnino placuit. Itaque, ut de alia re colloquerentur, rogavit: 'Illane umquam huc in hortum egreditur?'

'Nempe eam brevi videbis,' Rosa dixit. 'Ea spinosi generis est.'

'Ubinam spinas gerit?' Alicia curiose rogavit.

'Circum caput videlicet,' Rosa respondit. 'Mirabar te eas non gerere. Id usitatum esse putabam.'

'Ecce, illa advenit!' Delphinium dixit. 'Pedum crepitum eius glareosam semitam pulsantium audio!'

Alicia spe magna circumspexit. Regina Rubra appropinquabat. 'Ea multum crevit!' primum dixit.

Creverat vero: tantum tres digitos alta fuerat cum primo Alicia eam in cineribus repperit — nunc autem aliquanto procerior quam Alicia ipsa erat!

'Causae est aer purus,' inquit Rosa: 'hic foris aer praestantissimus est.'

'In animo mihi est obviam ei ire,' inquit Alicia. Quamquam enim florum studiosa erat, multo magnificentius cum vera Regina colloqui visum est.

'Id prorsus facere non potes,' Rosa inquit. 'Me suadente, in contrariam partem procedes.'

Cum hoc plane ineptum Aliciae videretur, nihilo dicto ad Reginam Rubram versus profecta est. Mirata est Reginam e conspectu statim auferri, seque rursus in ostium domus incedere.

Alicia paulum moleste id tulit, itaque reversa est. Regina ubique exquisita (postremo longe procul eam conspicata est), alterum propositum tunc tentare statuit, ut in contrariam partem progrederetur.

Eventus optime successit. Commodum ambulare coeperat cum se coram Regina Rubra esse sensit. Et tumulus ad quem tam diu contenderat plane in conspectu fuit.

'Unde venis?' Regina Rubra dixit. 'Et quo is? Suspice, suaviter loquere, neve digitos perpetuo agitaveris!'

Haec omnia Alicia attendit, et, quam optime potuit, monstravit se via sua erravisse.

'Cum "tua via" dicis, nescio quid in animo habeas,' Regina dixit: 'circum hunc locum viae omnes *meae* sunt — sed cur omnino huc exiisti?' voce mitiore addidit. 'Genu flecte dum cogitas quid tibi dicendum sit. Compendium temporis facit.'

Alicia hoc paulum mirata est, sed Reginam magis pavit quam ut id non crederet. 'Cum domum ivero, id conabor,' sibi reputavit, 'cum proxime sera ad cenam veniam.'



'Tempus nunc tibi est respondere,' Regina dixit, horologium suum parvum intuens: 'os paulo latius aperi cum loqueris, semperque dic "Domina Augusta".'

'Tantum volui videre qualis hortus esset, Domina Augusta —'

'Bene est,' Regina dixit — (caput Aliciae palpavit, quod ei minime placuit) — 'cum tamen "hortus" dicis, *ego* hortos vidi, quibus si hic comparetur, locus desertus sit.'

Alicia hoc disputare non ausa est; et porro dixit, '— et in animo mihi fuit ad illum tumulum pervenire —'

'Cum "tumulus" dicis,' Regina interpellavit, 'ego tibi tumulos monstrare possim, quibus si hic comparetur, eum vallem appelles.'

'Minime vero!' Alicia dixit. Denique, admiratione commota, ei obloqui ausa est. 'Tumulus valles esse numquam potest. Ineptum quidem id esset —'

Regina Rubra renuit. 'Tibi licet, si vis, id ineptum vocare,' dixit, 'sed *ego* inepta audivi, quibus si id comparetur, tam sapiens quam thesaurus verborum sit.'

Alicia iterum genu flexit, nam propter vocem Reginae timuit ne *paululum* id aegre ferret. Silentio simul deambulaverunt donec ad summum tumulum pervenerunt.

Alicia, nihil locuta, paulum temporis stetit: in omnes partes rus circumspexit. Regio maxime mira fuit. Complures rivuli erant in partes ambas transcurrentes; inter quos terra, saepibus compluribus ab alio ad alium rivulum extentis, in quadrata divisa est.

'Terra vero velut magna tabula latrunculorum designata est!' Alicia denique dixit. 'Oportet latrones aliquos alicubi circumagi — ita vero est!' laete addidit.

Corde sibi perturbatione celerius palpitante, porro dixit: 'Magnus lusus latrunculorum per totum orbem luditur — si quidem adhuc in orbe terrarum sumus. Quantum me delectat! Quantum vellem particeps lusionis esse! Satis sit me latrunculum minorem esse — *plurimum* scilicet Regina esse vellem!'

Haec loquens, veram Reginam verecundius intuita est: sed illa modo comiter subrisit et dixit 'Id facile fieri potest. Si vis, tibi licet Latrunculo Reginae Albae esse, Viola enim iunior est quam ut lusus particeps sit. Principio es in Quadrato Secundo: cum ad Quadratum Octavum perveneris, Regina fies —'


Hic vero aliquo modo currere coeperunt.

Cum Alicia postea rem reputaret, comperire non potuit quo modo initium fecissent. Solum meminit eas manibus iunctis

cucurrisse, Reginamque tam celeriter properavisse ut vix eam subsequi potuerit; Reginam tamen 'Celerius curre!' semper clamavisse.

Alicia sensit se celerius currere omnino non posse, sed prae anhelitu hoc affirmare non potuit.

Maxime mirum fuit arbores et ceteras res circum eas non omnino loca permutare. Quamvis enim celeriter irent, numquam quidquam praeterire visae sunt.



'Demiror num omnes res una nobiscum moveantur,' misella Alicia dubie reputavit. Regina visa est coniectare quid cogitaret; nam exclamavit 'Celerius curre! Noli loqui conari!'

Loqui quidem Alicia prorsus noluit; nam visa est numquam rursus loqui posse, cum tantum exanimata esset.

Regina etiam clamavit 'Celerius! Celerius!', et eam proripuit.

'Brevine perveniemus?' Alicia postremo anhelans dixit.

'Brevine perveniemus?' Regina iteravit. 'Multum tempus abhinc illum locum praeterivimus! Celerius!' Silentio paulum cucurrerunt. Alicia sibilum venti audivit: hic capillos de capite ei flatu deripere videbatur.

'Veni! Veni!' Regina clamavit. 'Celerius! Celerius!'

Tam celeriter cucurrerunt ut postremo per aerem volare vide-

rentur, neque humum pedibus tangere. Improviso constiterunt. Alicia defatigata se humi exanimatam et vertiginosam sedere invenit.

Regina ad arborem quamdam eam fulsit, et comiter dixit 'Paulum requiescere tibi nunc licet.'

Alicia magna admiratione circumspexit. 'Mihi quidem videtur nos sub hac arbore totum tempus fuisse! Omnia sic ut fuerunt sunt!'



'Nempe eadem sunt,' Regina dixit. 'Quid fieri vis?'

'In nostra scilicet terra,' Alicia dixit, etiam paulum anhelitans, 'semper fere aliquo pervenias — si diu celerrime curras, sicut nos cucurrimus.'

'Pigram sane terram!' Regina inquit. 'Hic autem quam celerrime possis currendum est modo ut in eodem loco maneas. Si aliquo alio ire velis, multo celerius currere oportet!'

'Potius, sis, non conabor!' Alicia dixit. 'Hic manere contenta sum — sed calore et siti magnopere sum confecta!'

'Egomet scio quid tibi fortasse placiturum sit!' Regina comiter dixit. Cistellulam de sinu extraxit. 'Licetne mihi panicellum tostum tibi offerre?'

Alicia, negare inhumanum esse rata, quamquam minime

acceptus erat, eum prehensum, quantum potuit, edit. Aridissimus quidem fuit; Alicia sibi magis quam umquam in vita strangulari visa est.

'Dum te reficis,' inquit Regina, 'mensuras modo faciam.' Taenia unciis notatis de sinu extracta, humum demetiri coepit, paxillosque parvos hac atque illac infixit.

'Postquam sex pedes processero,' dixit, dum ad spatium notandum paxillum infigit, 'tibi mandata dabo — visne alium panicellum?'

'Minime vero. Benigne!' Alicia dixit. 'Unus vero satis est!'

'Spero sitim tuam sedatam esse,' Regina dixit.

Alicia dubitavit quid ad hoc dicere deberet; sed Regina, responso feliciter non exspectato, porro dixit: 'Postquam novem pedes processero, mandata iterabo — ne forte ea obliviscaris. Post duodecim pedes, te salvere et valere iubebo. Post quindecim pedes, discedam!'

Omnes paxillos iam in humum infixerat. Cum Alicia sollicite conspiceret, illa, ad arborem reversa, per seriem paxillorum progredi coepit.

Ad paxillum sex pedum conversa, dixit: 'Latrunculus, cum primum movetur, per duo quadrata procedit. Itaque celerrime Quadratum Tertium transibis — via ferrata, opinor, ibis — et exiguo tempore in Quadrato Quarto eris.'

'Id Quadratum Pipilonis et Sibilonis est — Quadratum Quintum maxime aquosum est — Quadratum Sextum Ovalii Crassi est — sed nonne vis quidquam dicere?'

'Nescii me nunc quidquam dicere oportuisse,' Alicia haesitans dixit.

'Te *oportuit* dicere,' Regina obiurgatione gravi perrexit, '"Quod haec omnia mihi explanavisti, tibi gratiam maximam habeo" — concedatur tamen ita dictum esse — Quadratum Septimum totum silvestre est — unus tamen Equitum viam tibi monstrabit — et in Quadrato Octavo una simul Reginae erimus, atque conviviis ludisque fruemur!'

Alicia surrexit, genu flexit rursusque consedit.

Ad paxillum proximum Regina iterum conversa dixit: 'Gallice loquere cum quidpiam Latine exprimere non potes — pedes ambulans obliqua — atque memento quis sis!'

Tunc non opperta est dum Alicia genu flecteret; ad paxillum proximum cito progressa, ad salutem dicendam respexit, deinde ad ultimum paxillum properavit.

Commodum cum ad paxillum ultimum venisset, ex conspectu abiit; neque umquam Alicia coniectare potuit quomodo accidisset. Diiudicari non potuit utrum in aerem evanuisset, an in silvam citissime cucurrisset. ('Ac sine dubio ea celerrime currere potest!' Alicia reputavit.) Prorsus tamen discesserat.

Hic Alicia reminisci coepit se Latrunculum esse, atque brevi sibi procedendum fore.

CAPUT TERTIUM

INSECTA INTRASPECULARIA

PRIMUM nimirum Aliciae necesse fuit terrae tractum totum contemplari, quae ei perlustranda erat.

'Haud multum differt a geographiae studio,' Alicia sibi dixit. In digitos pedum erecta stetit, si forte paulo longius videre posset. 'Flumina praecipua — nulla sunt. Montes praecipui — in monte unico sto, cui nullum nomen, opinor, est. Oppida praecipua — at quae sunt animantia illa, quae illic infra mel faciunt? Apes certe non sunt — quisnam umquam apes mille passus distantes vidit?'

Paulum temporis tacita constitit. Animans unum spectabat, quod inter flores pervagabatur et proboscidem in eos inserebat. 'Agit sicut apis vera esset,' Alicia secum reputavit.

Non tamen omnino apis vera fuit: fuit vero elephantus. Quod Alicia mox repperit, quamquam notio magnopere eam commovit. 'Quam ingentes flores esse debent!' porro sibi dixit. 'Similes sunt casarum quibus, tectis ablatis, stirpes aptatae sunt — et quantam vim mellis facere debent!'

'In animo mihi est descendere et — immo vero nondum utique ibo,' perrexit.

Moram subito fecit priusquam de colle decurreret; neque explanare potuit cur tam subito timida facta esset.

'Nihil vero proderit inter eos descendere, nisi ramum satis longum ad eos repellendos portabo — et quantus iocus erit cum rogabor num ambulatio mihi placuerit. Dicam "Satis bene sane placuit"' (hic modo illo suo caput quassavit) '"sed multum pulveris et caloris erat, et elephanti sane quam procaces erant!"'

'Puto me altera via descendere debere,' post moram dixit:

'et forsitan elephantos paulo postea visitem. Ad hoc magnopere volo in Quadratum Tertium penetrare!'

Sic se excusans, de colle decurrit, atque trans primum sex rivulorum transiluit.

. . . . .
. . . .
. . . . .

'Tesseras viaticas, sultis, praebete!' Custos, capite per fenestram intruso, dixit.

Omnes statim tesseras porrexerunt. Hae paene aeque magnae atque vectores fuerunt; raedam ferme complere visae sunt.

'Agedum! Tesseram tuam praebe, puella!' Custos perrexit. Irate Aliciam intuitus est. Plurimae voces simul una dixerunt ('Chori cantatorum modo,' secum reputavit Alicia), 'Noli eum tardare, puella! Quodque momentum temporis ei sexaginta milibus sestertium valet!'

'Vereor ne tessera mihi desit,' Alicia timide dixit: 'in eo loco unde veni taberna tesserarum non erat.'

Iterum chorus loquentium dixit: 'Satis spatii non erat in eo loco unde venit. Uncia quaeque terrae ibi sexaginta milibus sestertium valet!'

'Ne te excusaveris!' Custos dixit: 'tesseram a machinae gubernatore emere debuisti.'

Rursus chorus vocum porro dixit, 'Nempe ille est machinae auriga. Flatus fumi quisque sexaginta milibus sestertium valet!'

Alicia secum reputavit: 'Loqui igitur non opus est.' Cum autem nihil dixisset, voces nunc non vicissim locutae sunt; sed, quod ei mirum quidem fuit, chori modo simul una *cogitaverunt* (spero to intellegere quid sit *chori modo cogitare* — confiteor enim *me* nescire): 'Melius sit nihil omnino dicere. Verbum dictionis quodque sexaginta milibus sestertium valet!'

'Hac nocte certe somniabo de sexaginta milibus sestertium,' Alicia sibi dixit.

Hoc totum tempus Custos eam intuebatur, primo per telescopium, deinde per microscopium, deinde per vitrea ocularia. Denique dixit 'In contrariam partem ferris ac debes!' Fenestram clausit et abiit.

'Puellam tam parvulam,' vir dixit, qui adversus eam sedebat



(charta alba vestitus est), 'oportet intellegere quam in partem iter faciat, etiamsi nomen suum ipsius ignorat!'

Et Caper, qui iuxta virum albo vestitum sedebat, oculis clausis clara voce dixit, 'Eam ad tabernam tesserarum pervenire scire oportet, etiamsi abecedarium ignorat!'

Scarabaeus iuxta Caprum sedebat (caterva vectorum sane inusitati generis erat). Is igitur, cum omnes invicem loqui debere constitutum esse videretur, perrexit: 'Hinc sarcinae modo remittenda erit!'

Alicia cernere non potuit quis ultra Scarabaeum sederet. Sed deinde vox rauca locuta est: 'Machinas commutari opus —' Hic, anima interclusa, necessario desiit.

'Sonitum velut equi edit,' Alicia sibi dixit. Et vox minutissima in aurem ei dixit, 'De hoc per iocum dicere possis — nempe *sonitum ravum equum ravum edere.*'

Tunc vox mitissima procul dixit, 'Titulus "Merx Feminea" sane ei affigendus est —'

Post haec aliae voces dicere perrexerunt ('Quot animantes vero in raeda sunt!' Alicia sibi dixit):

'Per tabellarium mittenda est, cum similis tabellae male pictae sit —'

'Pro nuntio per telegraphiam mittenda est —'

'Reliquum iter ei ipsi raedae trahendae sunt —'

Et cetera eius modi.

At vir charta alba vestitus, ad eam acclinatus, in aurem ei susurro dixit, 'Te neglegere oportet, cara, ea quae omnes dicunt. Quotiens raedae subsistunt, numerato solve pro vectura eundi et redeundi.'

'Minime vero!' Alicia animo satis irritata dixit. 'Re vera non debeo particeps huius in via ferrata vecturae esse — modo in silva eram — et utinam eo redire possem!'

Eadem vox minutissima in aurem ei dixit, 'De illo per iocum dicere possis — nempe "*lucifuga in lucum fugere vult*".'

'Noli me sic vexare,' Alicia dixit. Frustra circumspexit unde vox oriretur. 'Si tantopere vis iocum dici, cur non ipse facetum aliquid dicis?'

Vox parvula suspirium penitus traxit. Sine dubio miserrima fuit, et Alicia consolationis causa aliquid dixisset, 'si utique ceterorum modo suspirium ederet,' sibi dixit.

Suspirium autem tam perparvulum erat ut non omnino id audire potuisset, nisi proxime aurem eius editum esset. Qua de causa aurem eius maxime titillavit; immemor igitur miseriae animantis parvuli et infelicis fuit.

'Scio te amicam esse,' vox parvula perrexit; 'amica cara, amica vetus es. Neque mihi nocere vis, etiamsi insectum sum.'

'Cuius generis insectum es?' Alicia timide rogavit.

Re vera scire voluit utrum mordere posset necne; illepidum tamen esse putavit eis verbis rogare.

'Itaque ergo —' vox parvula dicere coepit. Sed, ululatu arguto a machina edito, amplius audiri non potuit.

Una cum ceteris omnibus Alicia trepide exsiluit.

Equus caput e fenestra protrusit, deinde placide retraxit. 'Rivulus modo est,' dixit, 'qui nobis transiliendus est.'

Quamquam ceteri hoc contenti esse visi sunt, Alicia timidior facta est, cum de raedis in aerem salientibus cogitaret.

'Transportabimur tamen in Quadratum Quartum: id utique solatio erit,' sibi dixit. Statim sensit raedam directo sursum in aerem surgere. Territa id quod proximum fuit corripuit; hoc forte Capri barba fuit.

. . . . .
. . . .
. . . . .

Barba tamen, ut eam tetigit, resolvi visa est. Se quiete sub arbore sedere sensit. Culex (id enim insectum erat quocum collocuta erat), in ramulo super capite eius libratus, alis eam ventilabat.

Certo Culex valde magnus fuit. 'Instar fere gallinae est,' Alicia sibi dixit. Cum tamen tam diu inter se collocuti essent, non amplius animo timido fuit.

'— omnia insecta tibi non placent?' Culex perrexit, tamquam nihil accidisset.

'Mihi placent cum loqui possunt,' Alicia dixit. 'In eo loco unde veni, nulla umquam loquuntur.'

'Qualibus insectis laetaris, in eo loco unde tu venisti?' Culex rogavit.

'Insectis omnino non laetor,' Alicia exposuit, 'quod ea paulum timeo, praesertim quae amplitudine permagna sunt. Sed nomina aliquorum tibi dicere possum.'


'Nempe ad nomina respondent?' Culex neglegenter dixit.

'Ea sic umquam egisse non memini.'

'Quid proficit nomina eis esse,' Culex inquit, 'si ad ea non respondent?'

'Eis quidem usui non est,' Alicia inquit; 'sed illis usui est, opinor, qui nomina eis imponunt. Quod nisi ita fit, cur profecto nomina rebus sunt?'

'Id nescio,' Culex dixit. 'In silva illic infra nominibus non utuntur — perge tamen nomina insectorum numerare.'



'Sane est Asilus,' Alicia primo dixit. Nomina digitis computabat.

'Bene est,' Culex dixit: 'medio in illo frutice, si contemplaberis, Asinasilum Vacillantem videbis. Totus ex ligno factus est; et se ab alio ad alium ramum traiciendo movetur!'

'Quo vescitur?' Alicia percuriose rogavit.

'Suco et scobe,' Culex inquit. 'Indicem perge proferre.'

Alicia Asinasilum Vacillantem studiose contemplata est. Tam nitida et lenta specie fuit ut Aliciae pigmento novo nuper illitus esse videretur. Deinde enumerare perrexit.


'Est etiam Calopteryx.'

'Ramum supra caput tuum contemplare,' Culex inquit: 'ibi Calidopterygem invenies. Truncus ei ex libo festo, alae ex ilicis foliis factae sunt, caputque acinus passus in vino ardens est.'

'Quo is vescitur?' Alicia, ut prius, rogavit.

'Pulticula et minutali,' Culex respondit; 'et nidum in fasciculo Saturnalico facit.'

'Praeterea est Papilio,' Alicia perrexit, postquam, insecto capite inflammato spectato, sibi dixit 'Fortasse ea de causa insecta in flammas candelarum volare tantum student — quod, opinor, in Calidopteryges mutari volunt!'



'Ante pedes tuos serpentem,' Culex dixit (quo Alicia pedes territa retraxit), 'potes videre Panipapilionem. Alae eius frusta tenuia panis butyro illiti sunt, truncus eius crusta panis est, caputque massula sacchari est.'

'Quo ille vescitur?'

'Thea diluta lacte mixta.'

Nodus novus atque difficilis Aliciae animo occurrit.

'Quid, si eam reperire non possit?' quaesivit.

'Sane igitur moriatur.'

'Id autem saepissime accidere necesse est,' Alicia cogitate dixit.

'Semper vero accidit,' Culex inquit.

Post hoc Alicia paulum temporis tacita cogitabat. Interea Culex bombo circum caput eius bis terve faciendo se oblectabat. Postremo rursus resedit et dixit, 'Nomine tuo, opinor, nolis privari.'

'Minime vero,' Alicia sollicita dixit.

'Nihilominus de ea re incertus sum,' Culex neglegenter perrexit: 'cogitadum quantum prosit si nomine carens domum redire possis!'

'Exempli gratia, si praeceptrix ad dictata te arcessere velit, "Veni huc —" exclamet; tunc autem ei desistendum sit, quod nomen nullum adicere possit. Itaque videlicet tibi eundum non sit.'



'Id sane non prosit,' Alicia dixit. 'Praeceptrix enim dictata mihi ob eam causam remittere nolit. Si nominis mei meminisse non possit, mihi "Era!" famularum modo dicat.'

'Si igitur "Era" neque amplius quidquam dicat,' Culex inquit, 'profecto a dictatis tuis errare tibi liceat. Iocus est. Vellem te id iocatam esse.'

'Cur velles memet id iocatam esse?' Alicia rogavit. 'Insulsissimum est.'

Culex autem modo suspirium penitus traxit. Duae lacrimae magnae de genis ei manaverunt.

'Salse loqui non debes,' inquit Alicia, 'si te tam miserum reddit.'

Deinde secutum est aliud suspirium parvum et triste. Hic vero Culex miser suspirando resolutus esse visus est. Cum enim Alicia suspexisset, in ramulo nihil in conspectu fuit.

Et cum valde frigescere inciperet, quod tam diu immota sedebat, exsurrexit et porro processit.

Mox ad agrum apertum pervenit, ultra quem silva erat. Haec multo obscurior quam proxima silva visa est; eam intrare Alicia paulum timuit. Cum tamen de re recogitavisset, progredi constituit.

'Etenim certe hinc non redibo,' secum reputavit.

Hic autem solus aditus fuit ad Quadratum Octavum.

'Haec debet esse illa silva,' considerate sibi dixit, 'ubi res nominibus carent. Quid ergo nomine meo fiet, ubi eo intravero? Nomen in totum amittere minime mihi placeat. Si hoc fiat, nomen aliud mihi dandum sit; idque paene certe iniucundum nomen sit.'

'Ridiculum quidem sit, si animantem invenire coner qui nomine priore meo donatus erat! Simile sit ut si qui, canibus amissis, renuntiationes publicent — "Nomini 'Pernici' respondet, et collare orichalci indutus est".'

'Quid si te omnem rem cui obviam fias "Alicia" nomine appellare oporteat, donec aliqua earum respondeat! Si tamen sapiant, non omnino respondeant.'

Cum tali modo garriret, ad silvam pervenit. Frigida et umbrosa esse videbatur.

'Iucundissimum utique est,' dixit, dum sub arbores incedit, 'postquam tam calida fui, ingredi in — in — in quid?' Mirum ei fuit verbi meminisse non posse.

'Iucundum utique est refugere subter — subter — scilicet subter *hoc*!'

Truncum arboris manu tetigit.

'Quo nomine se appellat hoc? Puto vero nomen ei deesse — ita profecto est!'

Paulum cogitans tacita stetit. Deinde confestim rursus loqui coepit.

'Ergo res vero tandem evenit! Quisnam igitur sum ego? Si potero, reminiscar! Certum mihi est id facere!'

At minimo usui fuit quod reminisci ei certum fuit. Postquam multum recogitavit, hoc tantum dicere potuit: 'L, certo scio L primam litteram esse!'

Hic tunc Hinnuleus errabundus praeteriit. Aliciam oculis magnis ac placidis intuitus est; sed non omnino territus visus est.

'Age, venidum!' Alicia manu protenta dixit.

Eum demulcere conata est; sed paulum modo resiluit. Tum, eam rursus intuens, constitit.



'Quo nomine appellaris?' Hinnuleus demum dixit. 'Quam leni et dulci voce est!' Alicia secum reputavit.

'Velim quidem me scire!' misera sibi dixit. Animo deiecta respondit, 'Nullo iam nunc nomine appellor.'

'Id parum idoneum est,' Hinnuleus inquit. 'Iterum cogita!'

Alicia cogitavit, sed nihil profecit.

'Velim, sis, mihi dicas quid tu ipse appelleris,' timide dixit. 'Id fortasse rei paulum prosit.'

'De eo te certiorem faciam, si paulo longius me comitaberis,' Hinnuleus dixit. 'Hic reminisci non possum.'

Itaque simul una per silvam ambulaverunt (Alicia brachiis

collum molle Hinnulei amanter amplectebatur) quoad in alium agrum apertum evaserunt. Hic Hinnuleus in aerem subito prosiluit, et a brachiis Aliciae se expedivit.

'Hinnuleus sum!' laeta voce exclamavit. 'Et, vae mihi, tu es puella humana!'

Oculi eius belli ac fulvi repente trepidatione suffusi sunt: statimque citissime aufugit.

Alicia, eum abeuntem intuens, constitit. Dolore paene ad lacrimas impulsa est, cum comitem itineris parvum et iucundum tam subito amisisset.

'Nunc tamen scio quis sim,' inquit; 'id quidem solatio nonnulli est. Alicia — Alicia — dehinc nominis non obliviscar.'

'Nunc autem dubia sum utrum horum indicum viarum sequi debeam.'

Hoc non difficile erat responsu; una enim via sola erat, ambobusque indicibus demonstrabatur.

'Rem diiudicabo,' sibi dixit Alicia, 'cum via dividetur, indicesque alius aliorsum viam monstrabunt.'

Sed hoc non probabile fore visum est. Diu longeque procedebat; ubicumque autem via divisa est, duo indices, viam eandem monstrantes, fuerunt. Alter notatus est 'AD DOMUM PIPILONIS,' alter 'AD DOMUM SIBILONIS.'

'Credo vero,' Alicia denique dixit, 'ambos in eadem domo habitare. Mirum est me id antea non intellexisse.'

'Sed melius erit diu ibi non morari. Eos modo visam et "Salvete!" dicam, et rogabo quo modo ex silva evadere possim. Utinam mihi ad Quadratum Octavum pervenire liceat antequam vesperascat!'

Itaque protinus palata est, progrediensque secum collocuta est.

Deinde in flexum viae repentinum versa, duobus homuncionibus obesis obviam facta est. Tam subito id accidit ut facere non posset quin retro paulum saliret.

Sed confestim se recepit, nam non dubitavit quin hi vero essent PIPILO et SIBILO.

CAPUT QUARTUM

PIPILO ET SIBILO

SUB arbore stabant, alter alterius collum amplexus.

Alicia statim intellexit uter uterque esset, quod alteri 'PIP', alteri 'SIB' in monili acu pictum est.

'Sine dubio uterque in parte monilis posteriore 'ILO' pictum habet,' sibi dixit.

Tam immoti steterunt ut eos vivos esse prorsus oblita sit. Commodum circumspiciebat si 'ILO' in parte posteriore utriusque monilis scriptum esset, ut vox homuncionis 'PIP' notati eam animo conturbavit.

'Si imaginaris nos esse signa ex cera facta,' hic dixit, 'te oportet scilicet id numerato solvere. Cerae non factae sunt ut nulla impensa spectarentur. Nullo modo!'


'Contrario modo,' homuncio 'SIB' notatus addidit, 'si nos vivos esse opinaris, te loqui oportet.'

Nihil aliud Alicia potuit dicere quam 'Valde vero doleo.'

Nam verba carminis vetusti in mente ei resonabant, velut si horologium strepitum continuum ederet; et facere non potuit quin verba clara voce diceret:

'Pipilo et Sibilo
 Pugnandi iungunt pactum:
Huic ille esse dat probro
 Crepitaculum infractum.

'Tum cornix devolat ingens
 Niger aeque atque pix, ai!
Uterque heros quem horrens
 Ignorat causam rixae.'



'Scio de quo cogites,' Pipilo inquit, 'sed non ita est, nullo modo!'

'Contrario modo,' Sibilo perrexit, 'si ita fuit, ita esse potuit; et si ita esset, sic esset; at cum ita non sit, non ita est. Ea ratio non est confutanda.'

'Hoc cogitabam,' Alicia urbane dixit, 'qua via ex hac silva commodissime egredi possem: tantum obscurari incipit. Velim mihi, si vultis, id dicatis.'

Sed homunciones obesi, alter alterum intuiti, modo risu rictum diduxerunt.

Facie tam similes erant discipulorum ludi grandium, ut Alicia facere non posset quin digito ad Pipilonem intento 'Prime Puer, responde!' diceret.

'Nullo modo!' Pipilo propere dixit, statimque labra cum crepitu compressit.

'Proxime Puer!' Alicia dixit, ad Sibilonem conversa. Pro certo habebat eum modo 'Contrario modo!' exclamaturum esse: quod quidem fecit.

'Initium perperam fecisti!' Pipilo exclamavit. 'Si quem invisis, primum "Salve!" dicere dextrasque iungere debes!'

Hic fratres alter alterum amplexi sunt; deinde uterque manum vacuam porrexit, ut cum ea manus iungeret.

Alicia cum altero dextras iungere noluit, ne animum alterius laederet. Itaque, nodi expediendi causa, manus ambas simul prehendit. Confestim orbe facto circum saltabant.

Hoc plane usitatum esse visum est (sic postea meminerat). Ne mirum quidem putavit esse quod sonum musicum audiret, qui ex arbore sub qua stabant emanare videretur.

Alicia musicam hoc modo fieri iudicavit: fidium plectro pulsatarum modo rami inter se perfricti sunt.

'At ridiculum quidem fuit,' Alicia postea dixit, cum sorori suae omnia haec narraret, 'quod ipsa cantabam "*Circum morum nunc saltemus.*" Nescio quando id coeperim, sed diutissime cantavisse mihi visa sum!'

Ambo alii saltatores obesi erant, brevique exanimati sunt. 'Quattuor circuitus satis uni choro sunt,' Pipilo cum anhelitu dixit.

Saltare aeque subito desierunt atque coeperunt. Simul vero musica destitit.

Fratres, manibus Aliciae demissis, aliquamdiu eam intuiti sunt. Intermissio dubia secuta est: nam Alicia incerta fuit quo modo cum eis colloqui incipere deberet quibuscum nuper saltaret.

Sibi dixit, 'Nihil prosit *nunc* "Salvete!" dicere: certo nimis longe iam processimus ad id faciendum!'

Denique dixit, 'Spero vos defatigatos non esse.'

'Nullo modo. Et summas gratias tibi ago quod hoc rogavisti,' Pipilo dixit.

'Gratissimum mihi id dixisti!' Sibilo addidit. 'Diligisne carmina?'

'Mihi satis placent — quaedam utique carmina,' Alicia dubie dixit. 'Velim, sis, mihi dicas quae via ex silva ferat.'

'Quod carmen ei me recitare oportet?' inquit Sibilo. Pipilonem

oculis rotundis ac tristibus respexit. Sed id quod Alicia rogavit neglexit.

'"*Phoca* et Faber*" carmen longissimum est,' Pipilo respondit. Fratrem suum indulgenter amplexus est.

Sibilo statim pronuntiare coepit:

'In aequora elucet sol —'

Hic Alicia interpellare ausa est. 'Si longissimum est,' quam urbanissime dixit, 'velim mihi primo dicas quae via —'


Sibilo leniter subrisit, et iterum coepit:

'In aequora elucet sol,
  Effulgens plurimum;
Quam maxime is tentat ut
  Sit mare placidum —
Absurdum quidem, quod hoc fit
  Ad noctis medium.

At luna lucet stolide,
  Quod censet non decere
Adesse solem ibi tum,
Nam tenebrae adiere —
"Quam arrogans" ait "ille est,
  Qui ludo vult nocere!"

Udissimi sunt latices,
  Arenae aridae;
Non queas nubem cernere,
  Nam nubes sunt nullae:
Nec supra volant alites —
  Deficiunt pennae.

* Ut sine dubio in picturis animadvertisti, animal, cui dentes cornibus similes sunt, re vera non Phoca, sed Odobaenus Rosmarus est. At nimis difficile fuit tale nomen in versus inserere.



Hic Phoca simul Faberque
  Deambulant iunctim;
Vementer plorant ut vident
  Arenae tantam vim:
"Si quis asportet hanc," ait
  Uterque, "laetus sim."


"Si servae septem scopis tot
  Converrant sex menses,
An possint expurgare hanc"
  Sic Phoca, "computes?"
Respondet Faber "Dubito,"
  Singultus dans tristes.

"O Ostreae, venite huc"
  Phoca ait, "agiles;
Iucundum sit nos iungere
  Et loqui multas res;
Est nobis opus quattuor
  Ut simus comites."

Hanc Ostrea grandissima
  Sine verbo conspicit;
Tum nictat illi oculo
  Et capite renuit;
Domunculam ostriferam
  Quod nimis diligit.

At iuniores quattuor
  Alacres properant:
Crepidae, togae mundae sunt
  Frontesque laverant —
Id mirum plane erat, quod
  His pedes deerant.

Sequuntur aliae Ostreae
  Duae bis initio;
Frequenter spissae veniunt
  Crescente numero —
In spuma saltant fluctuum
  Actae in sabulo.



At Phoca et Faber ambulant
Aliquantum spatium;
In saxulum reponunt se
Situ idoneum.
Exspectant omnes Ostreae
Eventum prosperum.

Sic Phoca: "Venit tempus nunc
De multis colloquendi;
Crepidas, naves, ceras, caules
Regesque disserendi —
Cur mare fervens sit, porcis
Alaene sint quaerendi."

"Manete: sermo ne fiat
Statim:" sic Ostreae;
"Omnes obesae sumus, et
Exanimes aliquae."
"Ne festinetis," Faber ait;
Hoc sunt gratissimae.

At Phoca inquit, "Opus est
Pane praecipue;
Acetum nobis piperque
Sunt grata maxime —
Si vultis, carae Ostreae,
Edamus propere."

"Num nos edatis?" aiunt hae,
Trementes paululum.
"Egistis prius comiter —
Hoc sit miserrimum!"
"Serena nox" sic Phoca "est.
Locum puto lepidum."

"Quam comes vos venistis huc,
Dulcissimae vero!"
At Faber tantum dicit, "En,
Frustum aliud cedo!
Surdissima, opinor, es —
Iterum te rogito."

"Videtur turpe," Phoca ait,
"Ductare dolis has,
Tam longe ductas cogere
Tolutim ire eas!"
At Faber tantum ait, "Eho,
Butyro, sis, parcas!"

"Vobiscum dolens penitus,"
Phoca ait, "maesta sum."
Cum cura quamque digerit
Cui corpus maximum,
Praetendens lacrimantibus
Oculis sudarium.



Sic Faber: "Iter fuit hoc
Iucundum, comites!
Domumne eamus?" Verbi nil
Aiunt participes —
Nec vero mirum fuit, quod
Comederant omnes.'

'Phoca mihi magis placet,' inquit Alicia, 'quod scilicet ostrearum misellarum eam *paulum* miseruit.'

'Plures nihilominus quam Faber edit,' inquit Sibilo. 'Nempe sudarium praetendit, ne Faber computaret quot sumpsisset: contrario modo!'

'Id sordidum quidem fuit!' Alicia indignans dixit. 'Faber igitur mihi magis placet — si tot quot Phoca non edit.'

'At tot quot sumere potuit edit,' inquit Pipilo.

Hoc nodum praebuit. Alicia intervallo dicere coepit, 'Eia vero, *ambo* indole iniucunda erant —'

Hic territa intermisit; nam in silva propinqua sonitum audivit similem anhelitui magnae machinae vapore impulsae. Timuit tamen ne contra fera esset.

'Suntne circum hunc locum leones vel tigrides?' timide rogavit.

'Rex Ruber tantum est, qui stertit,' Sibilo dixit.

'Veni, conspice eum!' fratres exclamaverunt. Uterque unam manum Aliciae prehendit, et ad eum locum ubi Rex dormiebat eam duxerunt.

'Nonne specie *venusta* est?' Pipilo inquit.

Id ita esse sincere dicere Alicia non potuit. Rubro galero alto et cristato indutus est: et incomposite obtortus iacebat, et magno sonitu stertebat.

Pipilo dixit, 'Tantum stertit ut paene caput suum decutiat!'

'Vereor ne, cum in herba humida iaceat, gravedine adficiatur,' Alicia, prudens puella, dixit.

'Iam nunc is somniat,' Sibilo inquit; 'et de quo eum somniare putas?'

'Id nemo coniectare potest,' Alicia dixit.

'De te vero somniat!' Sibilo, plausu gloriose facto, dixit. 'Et si de te somniare desinat, ubinam tu sis?'

'Hic certe, ubi nunc sum,' Alicia dixit.

'Minime vero!' Sibilo contemptim respondit. 'Tu nusquam sis. Tu scilicet modo es quiddam de quo somniat!'



'Si istic Rex expergiscatur,' Pipilo addidit, 'tu cum fragore exstinguaris — velut candela!'

'Non ita sit!' Alicia indignans exclamavit. 'Praeterea, si *ego* modo sum quiddam de quo is somniat, velim scire quid *vos* sitis!'

'Idem itidem,' inquit Pipilo.

'Idem itidem, itidem!' inquit Sibilo.

Haec tam magna voce clamavit ut Alicia facere non posset quin diceret, 'St! Si tantum strepes, vereor ne eum suscites!'

'Te utique mentionem eius suscitandi facere usui non est,' Pipilo dixit, 'cum pars modo eius somnii sis. Certe scis te non re vera exsistere.'

'Vere quidem exsisto!' Alicia dixit, et lacrimare coepit.

'Lacrimando te veriorem non reddes,' inquit Sibilo; 'non est cur lacrimare debeas.'

'Si re vera non exsisterem,' Alicia dixit (dum lacrimat paene

risit, quod res tota tam ridicula videbatur), 'lacrimare non possem.'

'Num profecto credis te veras lacrimas fundere?' Pipilo magna contemptione interpellavit.

Alicia secum reputavit: 'Eos nugari certo scio; et eo lacrimare stultum est.'

Itaque, lacrimis abstersis, quam hilarissime potuit perrexit, 'Me utique ex silva excedere oportet, nam obscurum maximum iam fit. Putasne imbrem esse venturum?'

Pipilo supra se fratremque umbellam magnam extendit; in quam suspiciens dixit, 'Immo vero non puto — hic saltem subter — pluviam fore. Nullo modo!'

'Extra autem pluviane esse potest?'

'Potest, si libet,' Sibilo inquit. 'Nostra non interest. Contrario modo!'

'Quantum suis rebus student!' Alicia sibi dixit. In animo 'Valete!' dicere atque discedere habuit, cum Pipilo ex umbella subsiluit, et manum eius apprehendit.

'Illudne vides?' voce ira incensa dixit. Oculi subito ei magni et flavi facti sunt, dum digito tremulo rem parvam et albam monstrat, quae sub arbore iacebat.

'Modo crotalum est,' Alicia, rem parvam et albam perscrutata dixit. 'Non scilicet *crotalus* est,' cito addidit, nam eum territum esse putavit. 'Solum crepitaculum vetustum — veterrimum et infractum — est.'

'Id scivi!' Pipilo clamavit. Pedes supplodere et crines vellere coepit. 'Inutile vero est!'

Tum Sibilonem intuitus est: hic statim humi consedit, et sub umbella se celare conatus est.

Alicia, manu brachio eius imposita, blande dixit, 'Propter crepitaculum vetustum te ita irasci non oportet.'

'At vetus non est!' Pipilo multo furiosius exclamavit. 'Novum vero est — id heri emi — meum bellum NOVUM CREPITACULUM!' Ululatu maximo vociferatus est.

Sibilo interea conatus est umbellam ita complicare ut ipse intus esset. Ita mirum hoc fuit ut Alicia prorsus fratrem iratum neglexerit.

Sed Sibilo propositum parum efficere potuit. Postremo in umbella involutus, capite solo extruso, volutatus est. Sic iacuit, et vicissim os oculosque magnos aperuit et clausit.



'Speciem praecipue piscis praebet,' Alicia secum reputavit.

'Nempe pacisci vis proelium committere?' Pipilo placidius dixit.

'Satis bene mihi libet,' alter, ex umbella prorepens, morose respondit. 'At illam nos vestiri adiuvare oportet.'

Itaque fratres ambo manibus iunctis in silvam abscesserunt, et cito redierunt. Brachiis res multigeneras portaverunt — culcitas, lodices, stragula, lintea, operimenta vasorum, arcas carbonarias.


'Spero te res acibus figere lineisque colligare scire,' Pipilo dixit. 'Harum rerum una quaeque aliquo modo induenda est.'

Alicia postea dixit se numquam in vita tantum tumultum

vidisse — quo modo ambo huc illuc festinarent — quot vestimenta sibi induerent — quanta molestia lineae ligandae et fibulae vesti affigendae sibi essent.

'Cum plane instructi erunt, simillimi erunt fascibus vestium detritarum!' sibi dixit. Collo Sibilonis culcitam accommodavit, ne caput ei absciderětur (hoc utique ipse dixit).

'Si cui caput in proelio abscisum est,' serio dixit, 'id paene gravissimum est quod ei accidere possit.'



Alicia cachinnum edidit, quem optime in tussim convertit, ne animum ei laederet.

'Pallidusne esse tibi videor?' Pipilo dixit. Accessit ut Alicia galeam sibi in capite illigaret (galeam esse dixit, at certo similior vasis culinarii erat).

'Vero, paulum es pallidus,' Alicia mite respondit.

'Plerumque fortissimus sum,' Pipilo voce submissa perrexit. 'Sed hodie forte dolore capitis afficior.'

'Ego autem dolore dentium afficior!' Sibilo, dicto audito, inquit. 'Dolorem multo maiorem quam tu accipio!'

'Melius ergo sit si hodie non omnino pugnetis,' Alicia dixit; nam occasionem bonam pacis faciendae esse existimavit.

'Necesse est nos aliquantulum pugnare; sed diu perseverandi non studiosus sum,' Pipilo dixit. 'Quota hora nunc est?'

Sibilo oculos in horologium suum parvulum coniecit; deinde dixit, 'Hora nona et semis est.'

'Pugnemus igitur ad horam undecimam, deinde cenemus,' Pipilo inquit.

'Esto!' Sibilo maestius dixit. 'Et illa nos spectet. At nimium propinqua noli esse. Plerumque omnia quae in conspectu sunt pulso — cum valde commotus fio.'

'Et ego omnia quae attingere possum pulso, sive in conspectu sive non sunt,' Pipilo dixit.

Alicia risit. 'Arbores igitur saepissime, opinor, pulsas,' inquit.

Pipilo subarroganter subridens circumspexit. 'Cum nos proelium confecerimus,' inquit, 'nulla arbor vero circum alicubi erecta restabit!'

'Atque crepitaculi modo causa omnia haec fient!' Alicia dixit. Etiam enim speravit se effecturam esse ut de re tam minuta pugnare eos *paulum* puderet.

'Non tam molestum mihi fuisset,' Pipilo inquit, 'nisi crepitaculum novum fuisset.'

'Velim cornicem ingentem venturum esse!' Alicia sibi dixit.

'Scilicet unus gladius solus est,' Pipilo fratri dixit; 'sed tibi umbella uti licet — ea aeque acuta est. Sed cito nobis incipiendum est; nam quam maxime obscurum fit.'

'Etiam eo obscurius quidem,' Sibilo inquit.

Tam subito obscurum fiebat ut Aliciae videretur tempestatem cum tonitru advenire.

'Quam densus et ater is nimbus est!' inquit. 'Et quam celeriter accedit! Credo vero eum esse alis praeditum!'

'Cornix est!' Pipilo territus acuta voce clamavit. Fratres ambo statim aufugerunt; et momento temporis ex conspectu abierant.

Alicia in silvam paululum cucurrit, et sub arbore grandi substitit.

'Nullo modo cornix hic me petere potest,' sibi dixit. 'Ingentior multo est quam ut inter arbores se comprimat. Sed utinam ne alis tantum plauderet — procellam enim satis magnam gignit in silva. Ecce, amiculum alicuius flatu aufertur!'

CAPUT QUINTUM

LANA ET AQUA

ITA locuta amiculum apprehendit et possessorem quaesivit.

Regina Alba statim per silvam citato cursu raptim accessit, brachiis ambobus extentis quasi volaret. Alicia, amiculum portans, comiter ei obviam ivit.

'Laetor me forte obviam factam esse,' Alicia dixit; eamque ad amiculum rursus induendum adiuvit.

Regina Alba, eam modo timide dubieque intuita, aliquid susurro sibi identidem dixit. 'Panis cum butyro, panis cum butyro,' dicere visa est.

Alicia reputavit, si colloqui deberent, sibi ipsi curandum fore ut initium fieret.

Itaque primo timidius dixit, 'Putemne me palam Regina Alba sistere?'

'Sic fortasse est, si quod agis pallam sistere vocas,' Regina inquit. 'Mea quidem opinione non omnino ita est.'

Alicia putavit, inito iam colloquio, nullo modo disputari debere: itaque subrisit, et dixit, 'Domina Augusta, si modo mihi explicabis quo modo initium recte facere debeam, te vestiam ut optime potero.'

'At te id facere omnino nolo!' Regina misella cum gemitu dixit. 'Has duas horas me vestio!'

Ut Alicia secum reputavit, multo melius fuisset, si quae alia vestem ei induisset; vestis tam incomposita et inculta fuit.

'Una quaeque res prava est,' Alicia sibi dixit, 'et vestis tota acibus horret!' Clara voce addidit: 'Licetne mihi amiculum tibi paulum corrigere?'

'Nescio quid ei sit!' Regina maeste dixit. 'Non compos sui, opinor, est. Acibus id varie conexui, sed placari non vult!'

'Si acus omnes eidem lateri infigis, recte dependere non potest,' Alicia dixit. Vestem ei leniter composuit. 'Et eheu! Crines tui vero incompti sunt!'

'Peniculus comatorius eis implicitus est!' Regina suspirans dixit. 'Et pectinem heri amisi.'



Alicia peniculum curate expedivit, et comas ei pro sua parte recomposuit.

'Specie vero multo iucundiore nunc es!' dixit, postquam acus plerasque loco permutavit. 'At re vera ornatrice uti debes!'

'Te certo libenter conducam!' Regina dixit. 'Duos sestertios nundino quoque tibi dabo, et alternis diebus poma condita.'

Aliciae necesse fuit ridere. Dixit: 'Nolo me conducas — et poma condita mihi parum placent.'

'At optima poma condita sunt,' Regina dixit.

'Hodie tamen utique nulla volo.'

'Etiamsi maxime velles, ea habere non posses,' Regina inquit. 'Pactum est poma cras fore — et poma heri fuisse — sed numquam hodie esse.'

'Necesse tamen est aliquando poma hodie esse,' Alicia interpellavit.

'Immo vero fieri non potest,' Regina dixit. 'Poma condita habeas quoque die alterno; diesque hodiernus scilicet non est dies alternus.'

'Id non omnino intellego,' Alicia dixit. 'Me maxime conturbat!'

'Propter hanc vitam retroversam fit,' Regina benigne dixit. 'Semper ergo initio vertiginosus fias —'

'Hanc vitam retroversam!' Alicia attonita repetivit. 'De tali re numquam audivi!'

'— sed maximum commodum habet, quod memoria in partes contrarias valet.'

'Certa sum memoriam *meam* in unam partem solum valere,' Alicia dixit. 'Rerum meminisse non possum antequam acciderint.'

'Memoria manca ea est quae retrorsum solum valeat,' Regina dixit.

'Qualium rerum tu maxime perspicue reminisceris?' Alicia rogare ausa est.

'Nempe earum rerum quae post trinum nundinum acciderint,' Regina neglegenter respondit.

'Exempli gratia,' perrexit, dum segmentum emplastri magnum digito suo affigit, 'Nuntium Regium habes. Is nunc in carcere poenas subit. Quaestio autem ne incipietur quidem ante diem Mercurii proximum. Et facinus vero ad extremum committetur.'

'Quid si facinus non omnino committat?' Alicia dixit.

'Nonne id multo melius sit?' Regina dixit. Emplastrum circum digitum fascia parvula ligavit.

Id quidem negari non posse Aliciae visum est. 'Multo melius certo sit,' inquit; 'at sic puniri ei multo melius non sit.'

'Cum id utique dicis, erras,' Regina inquit. 'Tune umquam punita es?'

'Ob peccata tantum,' Alicia dixit.

'Eoque certo melior facta es!' Regina elate dixit.

'Ita vero; sed ob peccata quae re vera commiseram punita sum,' Alicia dixit. 'Res inter se totae discrepant.'



'At si ea non commisisses,' inquit Regina, 'etiam melius fuisset; etiam melius — melius — melius!'

Quotiens 'melius' dixit, vox eius usque acutior facta est, donec ad extremum stridorem argutum edidit.

Alicia commodum dicere incipiebat 'In errore aliquo versaris —', cum Regina tam magna voce vociferari coepit ut dictum perficere non posset.

'Ai, ai, ei!' Regina clamavit. Manum suam concussit quasi eam prorsus decutere vellet. 'Digitus meus sanguine fluit! Ai, ai, ai, eheu!'

Ululatus eius tam similes stridoris machinae vapore impulsae erant, ut Aliciae manibus aures obtegere necesse esset.

'Quid tibi vero est?' dixit, cum primum audiri potuit. 'Digitumne acu pupugisti?'

'Nondum vero eum pupugi,' Regina inquit, 'sed brevi fiet — ai, ai, ei!'

'Quando te id facturam esse opinaris?' Alicia rogavit. Vix risu sibi temperavit.

'Cum amiculum iterum conectam,' Regina misella cum gemitu dixit, 'fibula statim resolvetur. Ai, ai!'

Hic vero fibula disiuncta est; Regina raptim eam corripere rursusque coniungere conata est.

'Cave!' Alicia exclamavit. 'Prave eam tenes!' Nimis sero fibulam comprehendere conata est: acumine retecto Regina digitum pupugerat.

'Ea de causa scilicet sanguine fluxit,' subridens Aliciae dixit. 'Iam tandem intellegis quo pacto res hic fiant.'

'At cur nunc non vociferaris?' Alicia rogavit. Manus paratas ad aures iterum obtegendas habuit.

'Iam vero satis vociferata sum,' Regina inquit. 'Quid denuo id renovare prosit?'

Iam demum lucescere incipiebat. 'Haud dubie cornix avolavit,' inquit Alicia. 'Laetor quod abiit. Noctem appropinquare putavi.'

'Velim me laetari posse!' Regina dixit. 'Rationis autem rectae numquam meminisse possum. Laetissima esse tu debes quod in hac silva habitare, et quandocumque vis gaudere licet!'

'At hic maxime sola sum!' Alicia maeste dixit. Utque de solitudine sua cogitavit, de genis duae lacrimae magnae ei manaverunt.

'Noli, precor, sic agere!' Regina, digitis desperanter inter se pectine iunctis, clamavit. 'Cogita quam grandis puella sis. Cogita quam longe hodie veneris. Cogita quota hora sit. Cogita quidvis, at noli lacrimare!'

Dum etiam lacrimat, Alicia facere non potuit quin hoc rideret. 'Potesne tu rebus cogitandis tibi temperare quominus lacrimes?' ea rogavit.

'Eo modo vero fit,' Regina firmissime asseveravit. 'Nemo scilicet res duas una simul facere potest. Principio de aetate tua cogitemus — quot annos habes?'

'Septem annos et semissem exactos.'

'Tibi non opus est "exactos" dicere,' Regina dixit. 'Sine eo tibi credere possum. Tibi nunc aliquid praebebo quod credas. Ego annos habeo centum unum, menses quinque et diem unum.'

'Id credere non possum,' Alicia dixit.

'Verone ita est?' Regina leniter dixit. 'Conare iterum: spiritu penitus ducto, operi oculos.'

Alicia ridens dixit: 'Id conari non usui est. Eis rebus quae fieri non possint nullo modo credi potest.'

'Hoc fortasse te non multum exercuisti,' Regina inquit. 'Cum tot annos haberem quot tu nunc habes, cotidie semihoram me exercebam. Aliquando etiam non minus sex rebus impossibilibus ante ientaculum credidi. Eheu! Amiculum meum rursus aufertur!'

Dum loquitur, fibula disiuncta est, et venti impetu trans rivulum quemdam amiculum abreptum est.

Regina, brachiis rursus extentis, id festinanter persecuta est. Tunc autem ipsa id recuperavit.

'Id receptum habeo!' elate exclamavit. 'Nunc videbis me ipsam solam acibus id conectere posse!'

'Spero igitur digitum tuum sanum factum esse,' Alicia urbane dixit. Rivulum simul post Reginam transiit.

. . . . .
. . . .
. . . . .

'Ah, multo melior factus est!' Regina dixit. Vox eius magis magisque stridebat. 'Multo me-elior! Me-e-elior! Me-e-e-elior! Me-e-e-eh!'

Verbum ultimum in balatum longum velut ovis produxit.

Alicia trepidavit. Reginam intuita est, quae lana subito involuta esse visa est. Oculos tersit et iterum circumspexit. Incerta erat quid vero accidisset.

'Num in taberna sum?' inquit. 'Estne vero *ovis* quae ultra mensam sedet?'

Quamquam oculos assidue tergebat, non multum amplius cernere potuit.

In taberna parva et obscura erat, cubitisque mensae innitebatur. Contra eam Ovis vetula in cathedra sedebat. Textile acibus



texebat; et aliquando desistens eam per magna vitrea ocularia intuebatur.

'Quid emere vis?' Ovis denique dixit. Paulisper ab opere textili suspexit.

'Nondum certum mihi est,' Alicia mitissime dixit. 'Primo, si licet, velim omnia circum me spectare.'

'Si vis, tibi licet ante te atque in utrumque latus spectare,' Ovis dixit. 'Sed omnia circum te spectare non potes — nisi in occipitio oculos habes.'

Alicia vero post se retro videre non potuit; itaque se modo convertit, et cum ad pluteum quemque accederet, eum spectavit.

Taberna plena rebus miris omnis generis esse visa est. Sed maxime mirum erat quod, quotiens pluteum quemque intente aspexit, ut quae vero in eo essent cerneret, is pluteus tunc

semper vacuus fuit; ceteri tamen circum eum plane rebus referti fuerunt.

'Omnia hic tantopere fluitant!' voce queribunda postremo dixit. Aliquantum temporis rem quamdam magnam et nitidam frustra insectata erat.

Haec speciem aliquando pupae, aliquando quasilli praebuit, semperque in pluteo sita fuit supra illum quem intuebatur.

'Haec quidem res maxime omnium me frustrat — at hoc modo agam,' consilio subito capto addidit; 'usque ad pluteum editissimum eam consequar. Per lacunar enim ire, opinor, ei difficillimum erit!'

Sed hoc etiam inceptum irritum fuit. Res per lacunar, quasi ad id plane assueta esset, quam quietissime penetravit.

'Puellane es an turbo?' Ovis, alio pare acuum assumpto, dixit. 'Me mox vertigine afficies si isto modo rotaberis.'

Iam quattuordecim paribus simul operabatur. Alicia magna miratione eam spectabat.

'Quo modo tot acibus texere potest?' puella dubie sibi dixit. 'Hystricis similis magis magisque fit!'

'Scisne remigare?' Ovis rogavit; simul par acuum textrinarum ei praebuit.

'Paululum quidem — sed non in terra — neque acibus —' Alicia dicere incipiebat, cum acus in remos mutatae sunt.

In parva scapha inter ripas prolabente eas esse invenit; itaque eam quam optime poterat eniti oportuit.

'Palmas erige!' Ovis clamavit. Aliud par acuum prehendit.

Huic dicto respondendum esse non visum est. Alicia igitur nihil dixit, sed remis incubuit.

Aqua inusitato modo se gessit; aliquotiens remi in ea adhaeserunt, vixque extorqueri potuerunt.

'Palmas erige! Palmas erige!' Ovis iteravit, acusque plures prehendit. 'Aliter mox palmas infodies.'

'Palmas quidem amoenas!' Alicia sibi dixit. 'Id facere mihi libeat.'

'Nonne me "Palmas erige!" dicere audivisti?' Ovis irate dixit. Acus complures prehendit.

'Audivi vero,' Alicia inquit. 'Saepissime — et clarissima voce — id dixisti. Sed ubinam sunt palmae?'



'Nempe in aqua!' Ovis dixit. Aliquot acus in villum suum infixit, quoniam manus eius plenae erant. 'Erigedum palmas!'

'Cur tam saepe "Palmas erige!" dicis?' Alicia subirata postremo dixit. 'Ego horti cultrix non sum!'

'Es vero,' Ovis inquit. 'Saltem inter moros certe es!'

Hoc animum Aliciae paulum laesit. Itaque paulum temporis non collocutae sunt.

Scapha quiete provecta est, aliquando per herbas aquatiles (in quibus remi magis quam antea adhaeserunt), aliquando sub arboribus.

Semper autem altae ripae fluminis in utroque latere protentae capitibus earum imminebant.

'Ah, si tibi libet — ecce iunci odorati!' Alicia subito delectata exclamavit. 'Illic vero sunt — et bellissimi quidem!'

'De istis mihi "si libet" dicere tibi non opus est,' Ovis, operi textorio intenta, dixit. 'Ego eos ibi non posui, neque eos amotura sum.'

'Immo vero dicere volui "Si vis, licetne nobis subsistere et aliquos eorum carpere?" Si quidem scapham paululum sistere vis.'

'Quo modo ego eam sistere possum?' Ovis inquit. 'Si remigare desines, ipsa per se consistet.'

Itaque scapham flumine temere devehi siverunt, donec inter iuncos fluctuantes leniter vecta est.

Deinde Alicia, manicis vestis cum cura retractis, brachia in aquam usque ad cubitum mersit, ut iuncos longe sub aqua apprehensos decerperet.

Iam parumper Ovis atque operis textorii prorsus oblita est. Extremis tantum crinibus passis in aquam immersis, ultra latus scaphae pependit. Vultu hilari et ardenti manipulos iuncorum odoratorum laete carpsit.

'Spero quidem non fore ut scapha subvertatur!' sibi dixit. 'Ah, quam pulcher ille iuncus est! At eum contingere non potui.'

Molestum certo ei visum est, quamvis vero, cum scapha praeterveheretur, multos iuncos pulchros carperet, semper alium esse pulchriorem quem contingere non posset.

'Paene consulto factum esse videtur. Iunci pulcherrimi semper nimium procul sunt!' sibi postremo dixit. Suspirio edito, iuncos pervicaciae accusavit quod tam procul siti essent.

Tum genis rubore suffusis, et crinibus manibusque aqua manantibus, retro in locum cito repsit, atque iuncos dilectos, quos nuper collegerat, disponere coepit.

Haud multum eius iam tunc interfuit quod iunci, ex quo tempore eos decerpsit, marcescere omnemque odorem et pulchritudinem amittere coeperunt.

Etiam enim si veri sunt, iunci odorati non diu permanent: hi autem, in somnio oblati, dum ad pedes eius acervatim iacent, nivis modo dilapsi sunt. Sed tot alia mira Aliciae proposita sunt, ut vix id animadverterit.

Non multo longius processerant, cum una palmula in aqua adhaesit et recusavit ne extricaretur (sic Alicia rem postea explanavit).

Capulus igitur eam sub mento percussit; et quamquam identidem 'Oh! Oh! Oh!' vociferata est, Aliciam infelicem de transtro in acervum iuncorum stravit.

Nullam tamen noxam passa, cito surrexit. Ovis acibus usque texebat, velut si nihil accidisset.

Cum Alicia, se etiam in scapha esse gavisa, locum suum recuperavisset, Ovis dixit 'Tunc palmam belle infodisti!'

'Itane vero? Eam non vidi,' Alicia dixit, dum in aquam obscuram propter scapham caute spectat. 'Utinam ne eam amisissem — velim quidem me palmam bellam mecum domum ferre posse, quam in horto inseram!'

Ovis autem modo contemptius risit, et in opere textorio perstitit.

'Multaene palmae hic sunt?' Alicia dixit.

'Palmae quidem atque res variae et diversae,' Ovis inquit. 'Multa sunt quae tibi eligere liceat. At decerne, sis, quid velis. Quidnam vero emere vis?'

'Quid emere volo?' Alicia trepida simul et timida reddidit.

Remi enim et scapha et flumen momento temporis evanuerant. In taberna parva et obscura denuo fuit.

'Ovum, sis, velim emere,' timide dixit. 'Quanto ea vendis?'

'Unum duobus sestertiis et semisse valet — duo uno sestertio valent,' Ovis respondit.

'Num duo igitur minoris uno valent?' Alicia mirata dixit. Crumenam suam e sinu extraxit.

'Si autem duo emes, ambo tibi edenda erunt,' Ovis dixit.

'Unum ergo, si tibi libet, emam,' Alicia, nummis in mensam positis, dixit. Secum enim reputavit, 'Gustus enim non omnino suavis esse possit.'

Pecunia accepta et in arcam deposita, Ovis dixit, 'Numquam in manus cuiquam res pono — id non idoneum sit — tibi ipsi id consequi necesse est.'

Quo dicto, ad ultimam tabernam abscessit, et ovum rectum in pluteum stetit.

'Demiror cur idoneum non sit' Alicia sibi dixit. Cum extrema pars tabernae valde obscura esset, errabunda mensas et sellas offendit.

'Quo diutius ad ovum accedo, eo longius removeri videtur. Haecne vero est sella? At profecto ramos habet! Quam mirum est arbores hic satas esse! Et reapse, ecce, rivulus est. Haec est maxime mira taberna omnium quas umquam vidi!'

. . . . .
. . . .
. . . . .

Itaque magis magisque dubia progressa est. Res quaeque, simul atque ad eam accessit, in arborem mutata est.

Plane coniectavit fore ut idem ovo contingeret.

CAPUT SEXTUM

OVALIUS CRASSUS

OVUM autem magis magisque crescebat, et magis magisque simile hominis fiebat.

Cum ad id prope accessisset, Alicia oculos et nasum et os ei esse vidit. Atque etiam propius aggressa, ipsum OVALIUM CRASSUM eum esse perspicue vidit.

'Alius quisquam esse non potest!' sibi dixit. 'De eo tam certa sum quam si nomen eius per faciem totam inscriptum esset!'

Nomen quidem facile centies in illa facie ingenti inscribi potuit.

Ovalius Crassus, cruribus Turci modo subter reflexis, in summo muro alto sedebat, tam angusto quidem ut Alicia admiraretur quo modo vitare posset ne decideret.

Cum oculos in contrariam partem constanter defixos haberet, eamque prorsus neglegeret, eum imaginem inanimam esse putavit.

'Simillimus vero ovi is est,' clara voce dixit. Manibus ad eum excipiendum paratis opperta est, nam eum delapsurum esse semper exspectabat.

'Maxime mihi stomachum movet,' Ovalius Crassus, ab Alicia retro respiciens, longo intervallo dixit, 'quod ovum appellor — maxime!'

'Dixi modo te speciem ovi praebere, domine,' Alicia, explanandi causa, mite dixit. 'Nonnulla autem ova scilicet pulcherrima sunt.' Sic se id quod dixisset in laudem convertere posse sperabat.

'Nonnulli homines,' Ovalius Crassus, ut ante ab ea retro respiciens, dixit, 'nihilo sagaciores sunt quam infans!'

Alicia nihil habuit quod ad hoc responderet. Quae enim dicta

sunt colloquium vix appellari potuerunt, quoniam ei ipsi nihil is dixerat, ultimoque dicto vero arborem quamdam alloqui visus est.

Itaque constitit, et voce submissa sibi recitavit:

'In muro sedebat Ovalius Crassus:
Inde casum deorsum horrendum est passus.
Toto agmine regio et equitatu
Prisco Crassus nequibat rursus poni in statu.'

'Versus ultimus nimis longus ad numero conveniendum est,' paene clara voce addidit; nam oblita est Ovalium Crassum se esse auditurum.

'Noli ibi stare et tibi sic garrire,' Ovalius Crassus, tum primum eam intuitus, dixit; 'sed dic mihi quis sis et quid scire velis.'

'Nomen mihi est Alicia, sed —'

'Nomen satis fatuum id est!' Ovalius Crassus inurbane interpellavit. 'Quid significat?'

'Necessene est ut nomen aliquid significet?' Alicia haesitans rogavit.

'Necesse plane est,' Ovalius Crassus dixit, et paulum cachinnavit. 'Nomen meum figuram qua sum significat — atque adeo formosa figura est. Quantum ad nomen tuum attinet, qualibet figura esse posses.'

'Cur hic foris solus sedes?' Alicia dixit; nam disputationem incipere noluit.

'Nempe quod nemo mecum est!' Ovalius Crassus inquit. 'Num putavisti me illius aenigmatis enodationem rectam nescire? Roga aliud!'

'Nonne tutius esse tibi videtur humi infra sedere?' Alicia perrexit. Non aliud aenigma proponere in animo habuit; tantum saluti miri homunculi benigne consuluit. 'Murus maxime angustus est!'

'Facilia vero aenigmata proponis!' Ovalius Crassus fremuit. 'Prorsus non tutius esse mihi videtur! Si enim umquam a muro

decidam — quod quidem accidere vix possit — at si re vera delabar —'

Hic labiis compressis tam severus ac magnificus visus est ut Alicia sibi vix temperare posset quin rideret.

'Si re vera delabar,' is perrexit, '*Rex mihi promisit* (ah, pallescere tibi licet, si vis! Profecto non putavisti me illud dicturum esse), *Rex mihi promisit — sua ipsa persona promisit — se — se —*'

'Se totum equitatum agmenque missurum esse,' Alicia temere interpellavit.

'Id quidem molestissimum est!' Ovalius Crassus, ira subito incensus, exclamavit. 'Tu subauscultavisti ad fores — et pone arbores — et desuper ad fumi emissaria — aliter hoc cognovisse non potuisses!'

'Immo vero id non audivi!' Alicia leniter dixit. 'Est in libro.'

'Esto! Talia sine dubio in libro scribi possunt,' Ovalius Crassus placatius dixit. 'Ea vero tibi appellare licet "Annales Populi".'

'Iam me intente contemplare! Is vero sum qui Regem adlocutus sim; fortasse alium talem numquam videbis. Et ne me superbum esse putes, mecum dextras iungere tibi licet!'

Ut se proclinavit (et ita faciens tantum non a muro decidit), rictum risu latissime diduxit, et manum Aliciae porrexit. Qua prehensa eum satis trepida spectavit.

'Si paulo latius rictum diducat, duo oris latera ei fortasse circum caput totum extendantur,' sibi dixit. 'Tum quid capite eius fiat? Fieri possit ut prorsus a corpore seiungatur!'

'Ita vero est: equos omnesque milites mittat,' Ovalius Crassus porro dixit. 'Illi vero momento temporis me citissime extollant! Paulo tamen celerius iusto colloquimur; ad proximum a postremo dictum regrediamur.'

'Vereor ut id satis meminerim,' Alicia urbanissime dixit.

'Ab integro igitur denuo incipiamus,' Ovalius Crassus inquit, 'et meae nunc partes sunt ut quaestionem deligam —' ('Loquitur



velut si ludum luderet!' sibi dixit Alicia). 'Ad hoc ergo responde. Quot annos dixisti te habere?'

Alicia, ratione brevi computata, dixit 'Septem annos et sex menses.'

'Perperam respondisti!' Ovalius Crassus elate exclamavit. 'Nihil tale vero dixisti.'

'Putavi te dicere intendisse "Quot annos habes?"' Alicia explanavit.

'Si id dicere intendissem, id dixissem,' Ovalius Crassus inquit.

Alicia, cum disputationem rursus incipere nollet, nihil dixit.

'Septem annos et sex menses nata es!' Ovalius Crassus secum reputans dixit. 'Aetas quidem incommoda est. Si me consuluisses, dixissem "Septem annos nata, desiste" — nunc autem sero est.'

'De aetate crescendo numquam consulo quemquam,' Alicia subirate dixit.

'Num nimis arrogans es?' ille rogavit.

Hac sententia Alicia etiam iracundior facta est. 'Hoc volui dicere,' inquit; 'cuncti homines senescere debent.'

'Cuncti fortasse debent,' Ovalius Crassus dixit, 'sed coniuncti non debent. Si adiutores habuisses, cum septem annos nata esses, desistere potuisses.'

'Quam pulchro cinctu indutus es!' Alicia subito dixit.

De aetate satis superque dissertum esse secum reputavit, suasque partes nunc esse, si vero invicem rogitarent, ut quaestionem optaret.

'Focali utique pulchro te indutum esse me dicere oportuit,' re reputata denuo dixit, '— at cinctus vere est — oh, veniam a te peto!' conturbata addidit.

Ovalius Crassus enim hoc moleste ferre visus est; et Alicia se de cinctu loqui non statuisse velle coepit. 'Utinam scirem,' sibi dixit, 'collum eius a medio corporis distinguere!'

Ovalius Crassus evidenter iratissimus fuit. Paulum temporis nihil dixit: sed cum iterum vero loqueretur, fremitum gravem edidit.

'Maxime — molestum — quidem — est,' postremo dixit, 'cum quispiam focale a cinctu distinguere non potest!'

'Scio me inscitam rerum esse,' Alicia tam demisse respondit ut Ovalius Crassus leniretur.

'Focale est, puella, et pulchrum quidem, ut dicis; quod Rex Albus et Regina Alba mihi donaverunt. En tibi est!'

'Itane vero?' Alicia dixit. Laeta erat quod denique rem idoneam ad colloquendum delegerat.

'Id mihi donaverunt,' Ovalius Crassus, genu altero super alterum posito manibusque circum coniunctis, considerate perrexit, 'ut dono innatalicio esset.'

'Veniam posco —' Alicia dubitanter dixit.

'Nihil mihi offensioni est,' inquit Ovalius Crassus.

'Dicere volui "Quid est donum innatalicium?"'

'Nempe donum quod tum datur cum natalis dies non est.'

Alicia, re paulum cogitata, denique dixit, 'Dona natalicia praepono.'

'Inscienter loqueris,' Ovalius Crassus exclamavit. 'Quot dies in anno sunt?'

'Trecenti sexaginta quinque,' Alicia respondit.

'Et quot natales in anno habes?'

'Unum.'

'Et si a trecentis sexaginta quinque unum deducis, quot restant?'

'Scilicet trecenti sexaginta quattuor.'

Ovalius Crassus haesitare visus est. 'Malim te scribendo eam rationem computare,' dixit.

Alicia, subridere coacta, commentario suo e sinu extracto, rationem ei sic computavit.

CCCLXV
I
———
CCCLXIV

Ovalius Crassus commentarium assumptum curatissime inspexit.

'Videtur quidem recte computatum esse —' dicere coepit.

'Librum inversum tenes!' Alicia interpellavit.

'Ita vero est!' Ovalius Crassus hilare dixit, cum ea librum contrarie convertisset. 'Nempe insolito modo compositus mihi visus est. Ut dixi, recte computatum esse videtur — iam nunc tamen tempus me deficit ad id accurate scrutandum. Ratio utique demonstrat trecentos sexaginta quattuor dies esse quibus dona innatalicia accipere possis —'

'Id certum est,' Alicia inquit.

'— unum autem solum quo dona natalicia accipias. Ecce tibi gloria!'

'Nescio quid "gloria" tibi significet,' Alicia dixit.

Ovalius Crassus contemptim subrisit. 'Certe nescis — donec explicavero. Mihi significat "Ecce tibi argumentum inexsuperabile"!'

'At "gloria" non significat "argumentum inexsuperabile",' Alicia asseveravit.

'Cum *ego* verbo utor,' Ovalius Crassus satis arroganter dixit, 'exactam vim habet quam mea opinione habere debet — neque ampliorem nec minorem.'

'Hoc diiudicandum est,' inquit Alicia, 'num verba sententias diversas habere cogere possis.'

'Immo vero hoc diiudicandum est,' inquit Ovalius Crassus, 'uter dominari debeat — id caput rei est.'

Alicia tantum haesitabat ut nihil dicere posset.

Itaque Ovalius Crassus parvo intervallo denuo dixit, 'Verba aliqua moribus difficilibus sunt — praesertim verba agendi, quae superbissima sunt — nomina adiectiva cohibere possis, non autem verba agendi — *ego* tamen cuncta coercere possum! Impenetrabilitas! Ecce quod egomet dico!'

'Velim, sis, mihi dicas quid illud verbum significet,' Alicia dixit.

'Nunc puellae prudentis modo loqueris,' Ovalius Crassus vultu laetissimo dixit. 'Cum "impenetrabilitas" dico, dicere volo nos illam rem satis disseruisse, atque melius fore si dicas quid proximum factura sis, cum te hic reliquam vitam mansuram esse non putem.'

'Unum verbum ergo plurimum significare cogitur,' Alicia dubie dixit.

'Cum verbum multum sic elaborare cogo,' Ovalius Crassus dixit, 'mercedis plus solito semper ei do.'

'Oh!' inquit Alicia. Mente perturbata, nihil amplius dixit.

'Te oportet ea conspicere Saturni diebus vesperi ad me se conferentia,' Ovalius Crassus perrexit, dum caput graviter utroque quatit, 'nempe ut mercedem accipiant.'

(Alicia rogare non ausa est quo rem eis solveret; itaque id tibi explanare non possum.)

'Sollertissime, domine, verborum sententias explicare videris,' Alicia dixit. 'Velim, sis, mihi dicas quid poema "Taetriferocias" significet.'

'Id mihi pronuntia,' inquit Ovalius Crassus. 'Explicare possum omnia poemata quae umquam composita sunt — atque complura quae ne adhuc quidem concepta sunt.'

Hac spe arrecta, Alicia primos versus recitavit:

'Hora coctava per protiniam teremeles
Limagiles teretant et quoque gyrirotant;
Sunt tenuiscopi macrilli, saepeque virci
Edomipali etiam vocibus eruditant.'

'Initio utique id satis est,' Ovalius Crassus interpellavit; 'in eo multa verba difficilia sunt. "*Hora coctava*" octavam horam significat, qua cenam *coquere* incipias.'

'Bene explicatum est,' Alicia dixit. 'Et quid est "*limagilis*"?'

'"*Limagilis*" vero indicat "limosus et agilis". "Agilis" idem est atque "pernix". Simile videlicet vidulo duplici est — in uno verbo duae sententiae contrusae sunt.'

'Nunc intellego,' Alicia cogitans dixit. 'Et quales sunt "*teremeles*"?'

'"*Teremeles* vero quodam modo similes sunt melibus — et stellionibus — et terebris quibus cortices extrahuntur.'

'Sine dubio maxime mirae sunt.'

'Ita vero est,' Ovalius Crassus dixit. 'Ad hoc sub solariis nidificant, atque caseo aluntur.'

Et 'quid est "*gyrirotare*", et "*teretare*"?'


'"*Gyrirotare*" est rotari gyriscopiorum modo. "*Teretare*" est foramina teretia facere terebrae modo.'

'Atque "*protinia*", opinor, area herbosa circum solarium est,' Alicia, sagacitatem suam mirata, dixit.

'Ita vero est. Atque "*protinia*" vocatur quod longe protinus ante solarium patet, et longe protinus post solarium —'

'Et longe protinus in utroque latere,' Alicia addidit.

'Ita profecto. Praeterea "*macrillus*" est "macer et imbecillus" (ecce tibi alius vidulus duplex). Et "*tenuiscopus*" est avis tenuis et quasi pannosa, plumis promiscue prominentibus, similis scopae viventi.'



'Atque quales sunt "*virci edomipali*"?' Alicia dixit; 'si quidem nimis molestum tibi non est.'

'"*Vircus*" utique est quasi viridis porcus; sed dubito quid "*edomipalus*" significet. Verbum curtatum est, opinor, pro "e domo abiens" — quasi vero de via palati essent.'

'Et quid "*eruditare*" significat?'

'"*Eruditatio*" medius est sonus inter rudendum et clamitandum, sternutamento quodam interiecto. Fortasse autem eum sonitum audies — in silva illic — cumque eum semel audiveris, eum iterari noles. Quisnam haec difficilia tibi recitavit?'

'In libro ea legi,' Alicia dixit. 'Sed aliquis — Sibilonem fuisse puto — poema multo facilius intellectu mihi recitavit.'

'Quantum quidem ad poesin attinet,' Ovalius Crassus, manu magna protenta, dixit, 'ipse tam bene quam ceteri eam pronuntiare possum, si necesse est —'

'Ah, necesse esse non opus est!' Alicia propere dixit, ne recitare inciperet.

'Carmen quod pronuntiaturus sum,' dicto eius neglecto is perrexit, 'tantum ad te delectandam scriptum est.'

Alicia, idcirco audiendum esse rata, consedit, et 'Tibi gratias ago' maestius dixit.

'Hiberno pratis albis anno
Hoc carmen te delectans cano —'

'Non tamen id cano,' is explanavit.

'Te non canere video,' Alicia inquit.

'Si videre quidem potes utrum canam necne, acie acutiore es quam plerique homines,' Ovalius Crassus severe dixit. Alicia tacuit.

'At silva viridante vere
Id te conabor edocere.'

'Gratias maximas tibi ago,' Alicia inquit.

'Aestate segníbus diebus
De his fortasse scies rebus:

Autumno fulvis foliis,
Encausto id inscribe, sis!'

'Inscribam, si id tam diu memoria retinere potero,' Alicia dixit.

'Te talia dicta edere non decet,' Ovalius Crassus dixit. 'Non sunt rationalia, et me perturbant.'

'Ad pisces mitto nuntium:
"Audite hoc imperium!"

Pisciculi maritimi
Responsum reddunt hoc mihi.

Respondent pisces tantulum:
"Non possumus parere, cum —"'

'Timeo ne id parum intellegam,' Alicia dixit.

'Posterius facilius intellectu fit,' Ovalius Crassus dixit.

'Hoc rursus mando monito:
"Sit melius quod impero."


Rictu risuque sic reddunt:
"Irata dicta tua sunt!"

His semel bisque impero;
Auscultant non consilio.

Cortinam novam capio,
Idoneam proposito.

Cor meum palpitat intra;
Vas compleo ex antlia.

Tum refert aliquis mihi,
"Quiescunt nunc pisciculi."



Distincte illum iubeo,
"Tu excites hos denuo."

Vementer verba itero;
In aures eius clamito.'

Ut hos versus recitavit, Ovalius Crassus magis magisque usque ad ululatum clamitavit. Alicia tremula sibi dixit, 'Ne maximo quidem praemio is nuntius esse voluissem!'

'Sed durus arrogansque hic:
"Non opus est clamare sic!"

Is arrogans et durus mi
"Hos" inquit, "excitabo, si —"

Depromo muro forcipem,
Ut ipse eos excitem.

Occlusam portam vinculo
Tum trudo, pulso, calcitro.

Ut porta obserata stat,
Rotare ansam tento, at —'

Longum intervallum secutum est.

'Estne id omne?' Alicia timide rogavit.

'Omne est,' Ovalius Crassus inquit. 'Vale!'

Hoc Aliciae admodum inopinatum fuit. Quod tamen firme ei subiectum est ut discederet, remanere vix urbanum fore putavit.

Itaque, manu porrecta, quam amicissime potuit dixit, 'Vale dum rursus obviam fiemus!'

'Etiamsi re vera obviam fiamus, te non agnoscam,' Ovalius Crassus morose respondit, dum pro manu digitum unum valedicendi causa protendit; 'tu simillima es ceterorum hominum.'

'Usitatum est quempiam facie noscitari,' Alicia cogitans dixit.

'Id ipsum reprehendo,' Ovalius Crassus inquit. 'Tua facies similis est atque omnium hominum: duos oculos sic —' (in aere pollice situs oculorum designavit) '— in medio nasum, et os infra habes. Semper idem est. Si autem oculos ambos in eodem latere nasi haberes — aut si os in summo situm esset — paulum utique usui esset.'

'At venustum non esset,' Alicia contra dixit. Ovalius Crassus autem oculis clausis solum dicit, 'Opperire dum id experta sis.'

Alicia paulum exspectavit si amplius locuturus esset. Sed cum oculis etiam clausis eam omnino non animadverteret, 'Vale!' iteravit; et nullo responso dato quiete abscessit.

Sed dum abit, facere non potuit quin sibi diceret, 'Omnium intolerabilium —' (hoc clara voce iteravit, nam tam longo verbo uti gratissimum ei fuit) '— omnium intolerabilium hominum quibus umquam obviam fui —'

Nihil amplius dixit, nam tunc maxime per totam silvam fragor magnus resonuit.

CAPUT SEPTIMUM

LEO ET UNICORNUUS

MILITES confestim, primo bini et terni, deinde decem simul vel viginti, per silvam excurrerunt.

Postremo tanta multitudine venerunt ut totam silvam complere viderentur.

Alicia post arborem se recepit, ne prosterneretur, eosque praetereuntes spectavit.

Ei visum est se numquam in vita milites tantum vacillantes vidisse. Semper in aliquid se impingebant; et quoties unus delapsus erat, complures alii super eum decidebant. Itaque humus mox parvis acervis hominum constrata est.

Deinde advenerunt equi. Quod eis quattuor pedes erant, paulo melius peditibus rem curaverunt; sed ei quoque aliquando prostrati sunt.

Quoties equus titubavit, equitem statim decidere usitatum esse visum est.

Turbatio usque maior facta est. Alicia igitur laeta in locum apertum effugit, ubi Regem Album humi sedentem diligenterque in commentario scribentem invenit.


'Omnes misi!' Rex, Aliciam conspicatus, laeta voce dixit. 'Militibusne per silvam transiens, deliciae, forte occurristi?'

'Ita vero,' Alicia dixit; 'compluribus, opinor, milibus.'

'Quattuor milia ducenti septem numerus exactus est,' Rex, commentario inspecto, dixit. 'Omnes equos scilicet mittere non potui, quod in ludo duobus opus est. Neque vero duos Nuntios misi. Ei ad oppidum iverunt. Contemplare, sis, viam, et dic mihi num utrum eorum videas.'

'Neminem in via video,' Alicia inquit.

'Utinam tam bona oculorum acies mihi esset!' Rex morose dixit. 'Te Neminem videre posse! Et praeterea tam procul! Egomet vero hac luce homines veros vix videre possum!'



Omnia haec Alicia neglexit; nam, umbra manu super oculis facta, viam intente contemplabatur.

'Aliquem nunc video!' denique exclamavit. 'Sed lentissime appropinquat — et quam miris gestibus utitur!'

(Nam Nuntius progrediens identidem in aerem exsultabat et

anguillae modo se torquebat; manusque magnas velut flabella in utrumque latus porrectas tenebat.)

'Id non mirum est,' Rex dixit. 'Est Nuntius Anglo-Saxonicus — et gestus eius Anglo-Saxonici sunt. Eis solum utitur cum laetatur. Nomen ei Leporitus est.' (Nomen pronuntiavit velut si verba 'Lepus Auritus' compendio contracta essent.)

'Amores meos cum littera L amo,' Alicia dicere inducta est, 'quod Laetus est. Eum odi cum littera L, quod Loquax est. Eum pavi — L — Lardo — et — Leguminibus. Nomen ei est Leporitus, et habitat —'

'In Litore habitat,' Rex simpliciter dixit. Non omnino sensit se ludi participem esse; Alicia autem in eo etiam haesitabat, quod nominis oppidi reminisci non poterat cuius prima littera L esset. 'Alteri Nuntio nomen est Petasivenditor. Duobus enim mihi opus est, altero qui veniat, altero qui eat.'

'Ignosce mihi —' Alicia dicere coepit.

'Quidquid fecisti, ignotum est,' Rex dixit.

'A te posco veniam —' Alicia denuo dicere coepit.

'Cum iam adsis, venire non potes,' Rex dixit.

'Dicere tantum volui me non intellegere,' Alicia inquit. 'Cur alterum venire, alterum ire necesse est?'

'Iam sane tibi dixi,' Rex morose repetivit. 'Mihi opus est duobus, apportandi et asportandi causa, altero qui res apportet, altero qui asportet.'

Tunc vero Nuntius eis adventavit. Tantum exanimatus erat ut nihil dicere posset; manibus strenue agitatis, oreque immani distorto, Regem solum intuitus est.

'Haec puella te cum littera L amat,' Rex dixit. Etenim speravit, notitia inter Aliciam et Nuntium efficienda, se impedire posse ne Nuntius oculos in se diutius obtutu defigeret.

Sed frustra egit; Nuntius modo gestibus Anglo-Saxonicis magis magisque insolitis usus est, oculosque magnos utroque vicissim dementer obliquavit.

'Terrorem mihi incutis!' Rex dixit. 'Sensu privari videor. Da mihi panicellum cum lardo!'

Tum Nuntius, magna cum delectatione Aliciae, sacco qui in collo dependebat aperto, panicellum Regi porrexit. Is avide eum devoravit.

'Da mihi alium panicellum!' Rex dixit.



'Nil praeter faenum relictum est,' Nuntius, sacco introspecto, dixit.

'Ergo da mihi faenum,' Rex languide susurravit.

Gratum fuit Aliciae quod hoc multum recreatus est.

'Nihil similiter prodest atque si sensu privatus faenum edas,' Rex dixit dum mandit.

'Melius, opinor, sit aquam frigidam super te fundere,' Alicia subiecit, 'aut olfactorio uti.'

'Non dixi nihil melius esse,' Rex respondit. 'Dixi nihil simile esse.'

Hoc denegare Alicia non ausa est.

'Quem in via praeteriisti?' Rex perrexit. Manum ad Nuntium porrexit, quo plus faeni acciperet.

'Neminem,' Nuntius dixit.

'Recte dicis,' inquit Rex. 'Haec puella quoque eum vidit. Lentius ergo quam tu Nemo procedit.'

'Quam optime possum facio,' Nuntius morose dixit. 'Certum habeo neminem multo celerius quam me procedere!'

'Id quidem is facere non potest,' Rex dixit, 'aliter prior huc pervenisset. Cum tamen animam recuperaveris, dic nobis, sis, quae in oppido acciderint.'

'Susurro modo id tibi dicam,' Nuntius dixit. Manibus ad os in tubae modum applicatis, se inclinavit ut proxime aurem Regis esset.

Hoc Aliciae paulum displicuit, cum ipsa quid novi esset scire vellet.

Nuntius tamen non susurravit, sed quam maxime vociferatus est, 'Denuo rixantur!'

Rex miser exsiluit et se quassavit.

'Illudne susurrum esse putas?' exclamavit. 'Si quid tale iterum facies, te frigendum curabo! Caput meum velut terrae motus perrupit!'

'Minimum quidem terrae motum esse oportuit!' Alicia sibi dixit. Tum 'Quinam denuo rixantur?' rogare ausa est.

'Nempe Leo et Unicornuus,' Rex dixit.

'Dimicantne de corona?'

'Sane quidem,' Rex dixit. 'Et hoc maxime ridiculum est, quod vero de mea ipsius corona dimicant! Eamus ad eos spectandos!'

Itaque cito abscesserunt; et Alicia, dum currit, verba carminis vetusti sibi recitavit:

'De corona dimicabant Unicornuus Leoque;
Leo vicit Unicornuum ab latere utroque.
Eos varie paverunt pane albo pulluloque
Et placentis: tum ex oppido fugarunt eos quoque.'

'Ergone — ille qui — vincet — coronam adipiscetur?' quam optime potuit rogavit; nam quod tam longe cucurrerant exanimata facta est.

'Non edepol!' Rex dixit. 'Quam absurdum!'

'Velim ut — satis benignus sis —' Alicia anhelitum ducens dixit, cum paulo longius cucurrissent, 'ut momentum temporis consistas — ut modo — animam recipiamus.'

'Satis benignus sum,' Rex dixit, 'sed satis validus non sum. Momentum temporis scilicet tam horribili celeritate praeterit. Aeque difficile sit Silvirapum sistere conari!'

Anima defuit Aliciae ad loquendum; itaque silentio porro cito progressi sunt. Denique multitudinem magnam hominum conspexerunt, qua in media Leo et Unicornuus dimicabant.

Tanta nube pulveris circumdati sunt ut primo Alicia eos distinguere non posset. Mox tamen Unicornuum cornu eius noscitavit.

Prope eum locum constiterunt ubi alter Nuntius, Petasivenditor, stabat pugnamque spectabat. Altera manu poculum theae, altera panem butyro illitum tenebat.

'E carcere nuper emissus est, et cum in custodiam datus est, potationi finem nondum fecerat,' Leporitus susurro Aliciae dixit, 'atque ibi ostrearum crustae solae ad vescendum eis dantur. Itaque sane fame et siti valde affectus est.'

'Quomodo vales, care amice?' collum Petasivenditoris indulgenter amplexus perrexit.

Petasivenditor respexit et nutavit, assidue tamen panem butyro illitum edebat.

'Tene bene habuisti in carcere, care amice?' Leporitus dixit.

Petasivenditor denuo respexit, atque de gena eius lacrima semel bisve manavit. Sed loqui prorsus noluit.

'Dicdum aliquid!' Leporitus graviter exclamavit. Sed Petasivenditor modo panem mandit et plus theae bibit.

'Cur non loqueris?' Rex dixit. 'Quomodo pugna procedit?'



Petasivenditor, magna vi enixus, frustum magnum panis devoravit.

'Pugna optime procedit,' voce suffocata dixit. 'Uterque ferme octogies septies stratus est.'

'Sine dubio ergo panis albus et pullulus mox inferetur,' Alicia inquit.

'Praesto iam adest,' Petasivenditor dixit. 'Hoc frustum quod edo pars eius est.'

Iam tunc pugna intermissa est. Leo et Unicornuus anhelantes consederunt; Rexque exclamavit 'Paulum morae habere licet ad cibum sumendum!'

Confestim Leporitus et Petasivenditor ferculis panis albi et pulluli circumferendis ministraverunt. Alicia frustum gustandi causa sumpsit: sed maxime siccum fuit.

'Non amplius hodie, opinor, pugnabunt,' Rex Petasivenditori dixit. 'Abi igitur et iube tympana statim pulsari.'

Itaque Petasivenditor protinus grylli modo prosiluit.

Aliquamdiu Alicia tacita eum spectavit. Tum subito magna

alacritate, digito monstrans, exclamavit: 'Vide, vide! Ecce Regina Alba quae trans agros currit! Ex illa silva evolavit. Quam celeriter istae Reginae currere possunt!'

'Sine dubio hostis quispiam eam persequitur,' Rex, ne respiciens quidem, dixit. 'Silva illa plena eorum est!'

'At nonne ei succurrere vis?' Alicia rogavit; nam eum tam indiligenter se gerere multum mirata est.

'Vanum et irritum sit!' Rex dixit. 'Mirum quam celeriter ea currit. Aeque difficile sit Silvirapum deprehendere conari! Sed de illa pauca perscribam, si tibi libet. Est lepida quidem et iucunda femina,' commentario aperto sibi voce submissa dixit. 'Verbumne "femina" duplici M scribas?'

Iam tunc Unicornuus, manibus in sinus bracarum insertis, praeter eos ambulavit. 'Ego, opinor, plus eo illic profeci!' obtutu obliquo praeteriens Regi dixit.

'Paulo — paulo plus,' Rex timidius respondit. 'Sed cornu tuo eum transfigere non debuisti.'

'At non laesus est,' Unicornuus neglegenter dixit.

Iam tum procedebat, cum Aliciam forte conspicatus est.

Ilico conversus, aliquamdiu immotus fastidio maximo eam intuitus est.

'Quid — est — hoc?' denique dixit.

'Pullus humanus est!' Leporitus studiose respondit. Ante Aliciam stetit, ut eam Unicornuo notam faceret; et manus ambas gestu Anglo-Saxonico ad eam utroque porrexit. 'Eum hodie modo invenimus. Instar viventis multoque naturalior est!'

'Eos monstra fabulosa esse semper putavi!' Unicornuus dixit. 'Vivitne?'

'Loqui potest,' Leporitus graviter dixit.

Unicornuus, Aliciam somniculose intuitus, dixit, 'Loquere, pulle!'

Alicia non sine risu dixit: 'Egomet scilicet semper putavi Unicornuos monstra fabulosa esse! Numquam adhuc vivum Unicornuum vidi!'

'Cum utique nos inter nos conspexerimus,' Unicornuus dixit, 'si tu me vivere credes, ego te vivere credam. Sicne paciscemur?'

'Ita vero, si tibi libet,' Alicia respondit.

'Agedum, mi vetule! Libum festum profer!' Unicornuus, ab ea ad Regem versus, perrexit. 'Istum panem pullulum edere nolo!'

'Sane quidem hercule!' Rex mussitavit. Digito Leporito innuit.



'Aperi saccum!' susurravit. 'Festina! Immo vero non illum — is faeni plenus est!'

Leporitus placentam magnam sacco extraxit; qua Aliciae porrecta, lancem et cultrum exemit. Quo modo tot res sacco promere posset mirum Aliciae fuit. Is velut praestigiis eos deludere visus est.

Inter haec Leo eis se addiderat. Admodum lassus et somniculosus visus est, oculosque semiapertos tenuit.

'Quid est hoc?' inquit. Oculis segniter conixit dum Aliciam intuetur, et voce gravi et rauca velut magnae campanae sonitu locutus est.

'Ah, quid vero est?' Unicornuus studiose exclamavit. 'Coniectare non potes! Egomet non potui.'

Leo Aliciam segniter intuitus est. 'Esne natura animante — an holeracea — an metallica?' identidem oscitans dixit.

'Monstrum fabulosum est!' Unicornuus exclamavit antequam Alicia respondere posset.

'Placentam ergo, Monstrum, distribue,' Leo dixit. Decubuit et in pedibus mentum fulsit.

'Vos quoque ambo considite,' Regi et Unicornuo dixit; 'atque de placenta curate ut ex aequo et bono omnia fiant!'

Rex, quod inter haec duo animalia magna ei sedendum erat, valde anxius manifeste erat: alius autem locus ei deerat.

'Quam bene nunc de corona dimicare possemus!' Unicornuus dixit. Coronam astute suspexit; miser Rex tantopere tremebat ut eam paene a capite decuteret.

'Ego facile vincam,' inquit Leo.

'Id minime pro certo habeo,' Unicornuus dixit.

'Nempe te ab latere utroque oppidi vici, pullus merus ut es!' Leo irate respondit. Simul consurgere coepit.

Hic Rex interpellavit, ne rixa extenderetur. Magnopere trepidavit, et voce tremula locutus est.

'Dixistine "ab utroque latere oppidi"?' inquit. 'Satis longum spatium id est. Utrum trans pontem veterem an per forum ivistis? Prospectum optimum habeas si trans pontem veterem eas.'

'Egomet certe nescio,' Leo cum fremitu dixit, atque rursus recubuit. 'Tantum pulveris fuit ut nihil videri posset. Quantum temporis ad placentam dissecandam Monstrum terit!'

Alicia, lance lata in genibus posita, in ripa rivuli consederat, et cultro placentam assidue dissecabat.


Cum iam 'Monstrum' appellari assueta esset, Leoni respondit: 'Hoc molestissimum est! Quamquam frusta complura de placenta secui, semper ea inter se rursus coniunguntur!'

'Nescis enim placentas Intraspeculares tractare,' Unicornuus dixit. 'Placentam prius distribuere, deinde dissecare debes.'

Ineptiae merae esse haec visa sunt. Alicia tamen obedienter surrexit et lancem circumtulit. Placenta extemplo in tres partes se divisit.

'Nunc disseca eam,' Leo dixit, cum ea ad locum suum cum lance inani revertisset.

'Inique vero hoc agitur!' Unicornuus clamavit. (Alicia interea



cultrum tenens sedebat, multum demirans quomodo secare deberet.) 'Monstrum Leoni plus placentae duplo quam mihi dedit!'

'Nihil utique sibi ipsi retinuit,' Leo dixit. 'Dic, Monstrum, libo festo delectaris?'

Sed priusquam Alicia respondere posset, tympana pulsari coeperunt.

Cernere non potuit unde sonitus oriretur. Aer sono plenus esse visus est.

Strepitus in auribus eius personuit donec paene exsurdata est. Cito surrexit, atque timore perculsa

. . . . .
. . . .
. . . . .

trans rivulum transiluit.

Satis modo temporis ei fuit ut Leonem et Unicornuum, cenam intermissam esse moleste ferentes, exsurgere videret. Tum genibus nixa aures manibus protexit: fremitum horrendum excludere frustra conata est.

'Nisi hic tympanorum strepitus eos ex oppido expulsabit,' sibi dixit, 'nihil quidem umquam id efficiet!'

CAPUT OCTAVUM

'ID IPSE EXCOGITAVI'

PAULO postea strepitus paulatim evanescere videbatur, atque silentium maximum fuit. Alicia trepidanter caput sustulit.

Nemo in conspectu fuit; primoque se vero de Leone et Unicornuo et illis miris Nuntiis Anglo-Saxonicis somniavisse rata est.

Lanx magna tamen ad pedes eius etiam iacebat, in qua placentam secare conata erat.

'Re vera ergo non somniavi,' sibi dixit, 'nisi — nisi nos omnes participes eiusdem somnii sumus. Spero quidem me ipsam, non Regem Rubrum, id somniare!'

'Pars somnii cuiusdam alius esse nolim,' voce querula perrexit. 'Haud scio an ad eum exsuscitandum ire debeam, ut cognoscam quid eventurum sit!'

Iam tunc hanc cogitationem magnus clamor 'Ohe! Ohe! Trade te!' interrupit.

Tum Eques, ornatu rubido vestitus, qui clavam magnam vibrabat, equo citato ad eam equitavit. Commodum ei advectus erat, cum equus eius repente substitit.

Eques ex equo delapsus est, simulque clamavit, 'Captivam te facio!'

Quamquam territa erat, Alicia primo ei magis quam sibi ipsi timuit, et eum spectavit in equum rursus conscendentem.

Simul atque rursus in equo satis firmiter sedit, iteravit 'Captivam te —' Hic autem alia vox interpellavit 'Ohe! Ohe! Trade te!' Alicia mirabunda respexit, si hostis novus appropinquaret.

Eques Albus nunc accessit. Iuxta Aliciam equum habenis stitit, et ex equo aeque atque Eques Ruber delapsus est. Deinde

equum rursus conscendit; atque Equites duo taciti sedentes alter alterum conspexerunt.

Alicia mirata utrumque intuita est.

'Mea scilicet captiva est!' Eques Ruber denique dixit.

'At ego progressus eam eripui!' Eques Albus respondit.



'De illa igitur dimicare nos oportet,' Eques Ruber dixit. Galeam sublatam (quae ex ephippio dependebat, formaque similis capitis equini erat) sibi induit.

'Nempe Legibus Proeliandi obtemperabis?' Eques Albus dixit. Is etiam galeam sibi induit.

'Semper eis obtempero,' Eques Ruber dixit.

Tum tanto furore alter alterum ferire coeperunt, ut Alicia post arborem se reciperet ut ictus vitaret. Pugnamque spectans ab latebra timide prospexit.

'Demiror quidem quae Leges Proeliandi sint,' sibi dixit. 'Una Lex esse videtur, ut, si alter Eques alterum percusserit, hunc de equo prosternat; at si eum non icerit, ipse delabatur. Alia Lex esse videtur, ut brachiis clavas teneant, velut maritus Pulcinella et marita Iulia in mimis puparum.'

'Quantum strepitum faciunt cum decidunt! Est quasi ferramenta omnia in focum inciderent!'

'Et quam placidi equi sunt! Equites conscendere et desilire patiuntur velut si mensae essent!'

Alia Lex Proeliandi, quam Alicia non animadvertit, esse visa est ut semper in caput deciderent.

Ambo simul coniuncti sic delapsi finem proelii fecerunt. Ut consurrexerunt, dextras inter se iunxerunt. Deinde Eques Ruber equum conscendit et celeriter abequitavit.

'Nonne splendide vici?' Eques Albus procedens cum anhelitu dixit.

'Vix scio,' Alicia dubie dixit. 'Captiva cuiusquam esse nolo. Regina esse volo!'

'Regina vero fies, cum rivulum proximum transgressa eris,' inquit Eques Albus. 'Ad extremam silvam te tuto deducam: tum scilicet mihi redeundum erit. Hactenus enim solum mihi moveri licet.'

'Eo tibi gratias ago,' Alicia dixit. 'Licetne mihi te adiuvare ad galeam exuendam?'

Hoc facere ipse certe non potuit. Ea tamen postremo quassando eum extricare potuit.

'Nunc tandem spiritum facilius ducere possum,' Eques dixit.

Manibus ambabus capillos inordinatos recomposuit, faciemque lenem et oculos magnos mitesque in Aliciam convertit. Ea putavit se numquam in tota vita militem tam mirum vidisse.

Armis e cassitero factis vestitus est, quae non omnino ei apte convenire videbantur. Et ad umeros alligatam capsam ligneam specie inusitata gessit, quae, operimento dependente aperto, inversa erat. Alicia eam curiose spectavit.

'Video te capsulam meam admirari,' Eques amice dixit. 'Eam ipse excogitavi — ubi vestem et panicellos conderem. Ut vides, eam inversam gero, ne pluvia penetret.'

'At res elabi possunt,' Alicia molliter dixit. 'Scisne operimentum esse apertum?'

'Id nesciebam,' Eques vultu submoroso dixit. 'Omnes res igitur necessario elapsae sunt! Atque sine eis capsula inutilis est.'

Ita locutus capsam resolvit, atque iamiamque eam in frutices abiecturus erat, cum quiddam animo ei occurrere visum est, et in arbore eam cum cura suspendit.

'Potesne coniectare cur id fecerim?' Aliciae dixit.

Alicia capite abnuit.

'Spero fore ut apes nonnullae in ea nidificent, et ego mel colligam.'

'At alvearium iam habes — aut aliquid simile — ephippio affixum,' Alicia dixit.

'Ita est: alvearium perbonum est,' Eques voce querula dixit, 'optimi quidem generis est. Sed adhuc nulla apis omnino ei appropinquavit.'

'Altera res quam spectas muscipula est. Puto mures aditu prohibere apes — aut apes prohibere mures — nescio utrum fiat.'

'Demirabar cur muscipulam haberes,' Alicia dixit. 'Mures in dorso equi esse sane verisimile non est.'

'Fortasse non verisimile est,' Eques dixit; 'sed, si veniant, eos ubique concursare nolim.'

Intervallo porro dixit, 'Praestat videlicet omnibus rebus providere. Ea de causa circum pedes equo periscelides sunt.'

'Quomodo usui sunt?' Alicia valde curiose quaesivit.

'Pristes mordere prohibent,' Eques respondit. 'Id ipse excogitavi. Nunc, sis, adiuva me equum ascendere. Ad extremam silvam te comitabor — At cui rei ista lanx usui est?'

'Ad placentam festam sustinendam,' Alicia dixit.

'Eam nobiscum ferre nos oportet,' Eques dixit. 'Utilis erit si

quam placentam invenerimus. Adiuva me eam in hunc saccum imponere.'

Diu conixi sunt ut hoc efficerent, quamquam Alicia saccum apertum diligentissime tenuit. Eques enim sane inscite lancem inserebat. Primo, cum aliquoties conaretur, ipse lancis loco incidit.

'Omnia enim tam conferta sunt,' inquit, cum denique lancem inseruissent. 'Tot candelabra in sacco sunt.'

Eumque ex ephippio suspendit, quod iam fasciculis carotarum et ferramentis foci et multis aliis rebus oneratum est.

'Spero capillos tuos capiti bene affixos esse,' dixit, ut profecti sunt.

'Tantum usitato modo,' Alicia subridens dixit.

'Id vix satis proderit,' is anxie dixit. 'Hoc loco scilicet vis venti maxima est. Aeque vehemens atque ius est.'

'Rationemne excogitavisti qua capilli vi venti eripi prohibeantur?' Alicia rogavit.

'Nondum vero,' Eques dixit. 'At rationem inveni qua excidere prohibeantur.'

'Eam cognoscere maxime velim.'

'Primum calamum erectum capias,' Eques dixit. 'Deinde capillos, velut arborem pomiferam, in eum sursum ascendere cogas. Nam hac de causa capilli capite excidunt, quod dependent. Nihil umquam sane sursum cadit. Id ipse excogitavi. Si vis, id experiri tibi licet.'

Incommoda quidem esse haec ratio Aliciae visa est. Rem aliquamdiu reputans, tacite processit.

Aliquoties ad Equitem miserum adiuvandum constitit; nam profecto male equitabat.

Quoties equus constitit (quod saepissime evenit), Eques ante cecidit. Quotiesque equus porro processit (quod plerumque subito fecit), pone cecidit.

Alioquin sessor satis bonus fuit: sed aliquando per obliquum decidere consuevit. Plerumque in eo latere delapsus est ubi Alicia

ambulabat; itaque melius esse mox invenit nimis prope equum non incedere.

'Vereor ne parum exercitationis equitandi habueris,' dicere ausa est, dum post quintum casum eum consurgere adiuvat.

De hoc Eques visus est multum admirari, dictoque paulum laedi.



'Cur ita dicis?' rogavit.

In ephippium rursus inscite conscendit; una manu capillos Aliciae tenuit, ne in alterum latus delaberetur.

'Quod, si multum exercitationis habuisses, minus saepe decideres.'

'Multum exercitationis habui,' Eques gravissime dixit: 'multum exercitationis!'

Alicia nihil aliud habuit quod diceret nisi 'Itane vero?' Tam sincere autem quam potuit locuta est.

Post haec silentio paulum progressi sunt. Eques oculis clausis, sibi mussitans, processit; Alicia anxie exspectabat si denuo decideret.

'Ars equitandi,' Eques, brachio dextro iactato, magna voce subito exclamavit, 'callidissime praebetur librando —'

Hic loqui tam subito desiit quam coepit. In semita in qua Alicia ambulabat in caput graviter cecidit.

Tunc vero ea magnopere territa eum sustulit et anxie dixit, 'Spero ossa nulla tibi fracta esse.'

'Nulla, quod sciam,' Eques dixit, quasi non recusaret quominus duo triave ossa frangerentur. 'Ars equitandi, ut dixi, praecipue exercetur — cum te librando firme sedeas. Hoc scilicet modo —'

Freno demisso, ambo brachia extendit, ut Aliciae modum demonstraret. Nunc deorsum supinus sub pedes equi decidit.

'Multum exercitationis!' usque iteravit dum Alicia eum erectum restituit. 'Multum exercitationis!'

'Hoc sane absurdum est!' Alicia, id moleste ferens, exclamavit. 'Equo ligneo rotis fulto uti debes!'

'Equine eius generis tranquille eunt?' Eques studiose quaesivit. Simul collum equi brachiis in ipso tempore amplexus est antequam rursus decideret.

'Multo tranquillius eunt quam equi vivi,' Alicia dixit. Facere non potuit quin breviter acute cachinnaret.

'Equum ligneum adipiscar,' Eques, re reputata, sibi dixit. 'Unum duosve — complures.'

Post haec breve silentium fuit; deinde Eques loqui perrexit. 'Sollertissimus sum ad res excogitandas. Ut me proxime sustulisti, nonne forte animadvertisti me in cogitatione defixum esse?'

'Vultu quidem satis severo fuisti,' Alicia inquit.

'Iam tunc excogitabam rationem qua clatri saepis ligneae transcenderentur — velisne eam cognoscere?'

'Magnopere quidem velim,' Alicia comiter dixit.

'Tibi dicam quomodo eam excogitaverim,' Eques dixit. 'Sic mihi dixi, "Maximae difficultati pedes sunt, caput enim satis altum iam est". Itaque primum caput meum in summos clatros pono — sic caput satis altum est — deinde pedibus superis in capite inversus sisto — sic pedes videlicet satis alti sunt — deinde sane in ulteriore latere sum.'

'Sine dubio quidem hoc facto ultra saepem sis,' Alicia re reputata dixit. 'At nonne putas id difficillimum factu fore?'

'Id nondum expertus sum,' Eques graviter dixit. 'Itaque pro certo habere nequeo — sed vereor ne satis difficile sit.'

Ea notione tantopere vexari visus est ut de alia re Alicia confestim locuta sit. 'Quam inusitata galea tibi est!' hilare dixit. 'Eiusne quoque inventor es?'

Eques galeam, quae ex ephippio dependebat, elate intuitus est. 'Ita vero est,' inquit, 'sed meliorem hac — in modum coni praelongi figuratam — inveni. Cum eam gerere solerem, quoties de equo cadebam, semper humum statim tangebat. Itaque minimum spatium mihi prolabendum erat. Sed periculum erat ne in galeam ipsam caderem. Id mihi olim accidit. Et maxime molestum fuit, quod alter Eques Albus, antequam me exsolvere possem, accessit et eam sibi induit. Suam enim ipsius galeam esse putavit.'

Hic Equitis vultus tam severus fuit ut Alicia ridere non auderet.

'Sine dubio, opinor, eum laesisti,' voce tremula dixit, 'quoniam in summum caput eius impositus es.'

'Nempe necesse mihi fuit eum calcitrare,' Eques serio dixit. 'Tum galeam rursus exuit — sed ad me extricandum multis horis opus fuit. Tam incitus factus sum quam — scilicet quam fulgur.'

'At verbum "incitus" ibi aliam vim habet,' Alicia contra dixit.

Eques hoc abnuit. 'Crede mihi, incitus omnimodis factus sum!'

Ita locutus, animo commoto brachia sustulit; statimque ex ephippio evolutus praeceps in fossam profundam cecidit.

Alicia ad eum quaerendum ad marginem fossae cucurrit. Casu eius perturbata est, cum is aliquamdiu satis bene equitavisset; et timebat ne nunc re vera laesus esset.

Quamquam tamen nihil praeter pedum plantas eius videre potuit, laetata est eum usitata voce loqui.

'Incitus omnimodis,' iteravit: 'sed imprudenter fecit quod alienam galeam induit — dum alter homo etiam in ea est.'

'Quomodo capite inverso sic usque loqui potes?' Alicia quaesivit. Pedibus ex fossa eum extraxit et in margine collapsum posuit.

Eques eam id rogare mirari visus est. 'Quid interest ubi corpus meum forte sit? Mens mea nihilominus munere fungitur. Quo



diutius vero capite inverso permaneo, eo plures res novas excogito.'

Intervallo perrexit: 'Hoc sollertissimum omnium feci; dum assa caro ministratur, secundam mensam novam excogitavi.'

'Satisne mature eam invenisti ut ad proximum ferculum coqueretur?' Alicia inquit. 'Citissime quidem effici oportuit.'

'Non sane ad *proximum* ferculum,' Eques lente et cogitate dixit. 'Non utique ad proximum *ferculum.*'

'Ad proximum diem igitur effici oportuit. Nempe duae mensae secundae in eadem cena non plerumque ministrantur.'

'Non sane ad *proximum* diem,' Eques iteravit, 'non ad proximum *diem.*'

'Re vera,' capite demisso et voce magis magisque suppressa perrexit, 'haud scio an illa mensa secunda umquam cocta sit! Non vero credo umquam fore ut illa mensa secunda coquatur! Ferculum nihilominus sollertissime inventum est.'

'Ex quibus rebus id constare voluisti?' Alicia rogavit. Eum exhilarare voluit, nam maestus esse videbatur.

'Primum charta bibula imponenda erat,' Eques gemens respondit.

'Ea, opinor, insulsa sit —'

'Charta bibula sola insulsa sit,' Eques cito interpellavit, 'at, si eam aliis rebus commisceas, multo melior sapor sit — exempli gratia, pulvere ignifero sclopeti et cera epistulari. Nunc vero mihi discedendum est.' Ad finem silvae modo accesserant.

Alicia dubio vultu etiam erat, nam de secunda mensa cogitabat.

'Maesta es,' Eques sollicite dixit. 'Carmen, si vis, ad te consolandam canam.'

'Longumne est carmen?' Alicia rogavit; nam eo die versus plurimos audiverat.

'Longum est,' Eques dixit, 'sed maxime bellum et iucundum est. Omnium qui me id recitantem audiunt aut oculi lacrimis suffunduntur, aut —'

'Aut quid?' Alicia dixit, nam Eques subito interstiterat.

'Aut non suffunduntur. Nomen carminis "*Asellorum Oculi*" appellatur.'

'Idne igitur nomen carminis est?' Alicia dixit. Ei studiose obsequi conabatur.

'Non quidem, non intellegis,' Eques stomachose dixit. 'Id est quod nomen appellatur. Nomen re vera "*Grandaevus Senex*" est.'

'Debui igitur dicere "Id est quod *carmen* appellatur?"' Alicia verbis mutatis dixit.

'Non vero debuisti; id aliud est. Carmen "*Opes Rationesque*" appellatur; sed scilicet tantum sic appellatur!'

'Quid ergo *est* carmen?' Alicia inquit. Iam maxime dubia facta est.



'Id tibi dicturus eram,' Eques inquit. 'Carmen re vera "*Sedens Clatris Fultus*" est. Et ipse musicam excogitavi.'

Ita locutus, equo represso habenas in collum demisit. Deinde modum musicae una manu lente designavit; et exigue subridens, luce leni in vultu fatuo effulgente, cantare coepit.

Ex omnibus miraculis quae Alicia in Transitu Per Speculum conspexit, hoc semper maxime perspicue memoria retinuit.

Multos quidem post annos spectaculum totum in memoriam reducere potuit, quasi die proximo accidisset.

Omnia, velut si in tabula picta essent, percepit — Equitis oculos caeruleos risumque benignum — solem occidentem per capillos eius elucentem atque ab armis ita clare refulgentem ut eam paene occaecaret — equum placide circumeuntem, habenis laxis in collo pendentibus, herbam ad pedes tondentem — et a tergo umbras silvae obscuras.

Arbore nixa, oculis manu umbratis, Equitem mirum cum equo miro observavit: et triste carmen somniculose auscultavit.

'At musicam utique ipse *non* excogitavit,' sibi dixit. 'Cantus "*Tibi omnia do, neque amplius queo*" est.'

Sed nullam lacrimam fudit.

'Quaecumque possum refero;
 Non est dicendum multum.
Grandaevum senem video
 Sedentem clatris fultum.
"Quis es, grandaeve?" quaerito,
 "Quo vita sustentatur?"
Responsum manat de animo
 Cribro aqua ut colatur.


"Papiliones conquiro
 Dum dormiunt in arvis;
In triviis has vendito,
 Scriblitis carnis factis.

Has nautis vendo turbido
  Qui navigant in mari;
Sic victus satis comparo —
  Vin stipem mihi dare?"

At cogitabam quomodo
  Et barbam viridarem,
Flabelloque utens maximo
  Omnino rem celarem.
Nil igitur responsi do
  Vetusti his nugis;
"Quomodo vivis, dic!" aio,
  Eum pulsans alapis.

Haec voce miti iterum
  Resumit: "Porro erro;
Cum specto rivum trepidum,
  Flammam ei ingero.
Confundunt sic remedium
  Rolandi Oleum Notum:
Et laboris tanti pretium
  Sestertius est totum."

At cogitabam quomodo
  Nutrirer farre solo,
Et sic in dies adeo
  Obesior fierem paulo.
Huc illuc illum quatio;
  Fit livida facies.
"Quo victu uteris?" clamo,
  "Et quaestum quem habes?"



"Aselli indago oculos
  In erice purpurea;
In bullas vestis fingo hos
  Media nocte placida.
Neque auro vendito illas
  Neque argenti nummulo,
Sed asse aeris has emas,
  Quo novem praebeo.

Panes subinde effodio
  Viscove cancros capio;
Aut viridi in tumulo
  Cisiorum rotas rapio.
Sic" (nictat is) "accumulo
  Pecuniam acervatim —
Et sit perlaetum animo
  Tibi propinare statim."

Hoc audio; nam viam tum
  Percepi pontem qua
Faciam ferrugine vacuum
  Coquendo in vappa.

Eum gratulor quod aperuit
  Modum sui ditandi,
Sed maxime quod coluit
  Spem mihi propinandi.

Dehinc si forte digitum
  In gluten insero,
Seu demens laevum calceum
  Pedi dextro accommodo,
Aut si in pedis digitum
  Deieci pondus multum,
Fleo, quod mente teneo
Senem quem diu noscito,
Mitem sermoneque lento,
Crinitum villo niveo,
Vultu simillimum corvo,
Obtutu ardentissimo,
Sensu turbatum misero,
Qui iecit se citro ultro
Et mussitavit tranquillo,
Velut plenum esset os cibo,
Bovis qui fremuit modo
Aestivo vespere prisco
  Sedentem clatris fultum.'

Eques, dum verba ultima carminis cantat, habenis collectis equum suum in via direxit qua venerant.

'Paulum spatii solum tibi eundum est,' inquit, 'de colle ac trans illum rivulum; tum eris Regina. At opperire, sis, et mihi abscedenti dic salutem,' addidit, cum Alicia vultu alacri se averteret.

'Ad discedendum non multo temporis opus erit. Vin hic manens sudario agitando me valere iubere, cum ad illum flexum viae accessero? Mens mea, opinor, sic confirmabitur.'

'Ecastor vero opperiar,' Alicia dixit. 'Et gratias maximas tibi ago quod tam longe me comitatus es — et quod carmen cantavisti — quod mihi multum placuit.'

'Id spero quidem,' Eques dubie dixit; 'sed non lacrimavisti tantum quantum sperabam.'

Dextris igitur iunctis, Eques lente in silvam abequitavit.

'Brevi certe tempore eum abscedere videbo — ab equo,' Alicia sibi dixit, dum ibi stans eum intuetur. 'Iam nunc abscedit! Ut solet, in caput directo cecidit! Satis facile tamen iterum conscendit — nempe quod tot res de equo dependentes habet —'

Sic sibi usque locuta est. Interea spectabat equum, qui otiose in via ambulabat, et Equitem, qui identidem in alterna latera delapsus est.

Postquam quater quinquiesve decidit, ad flexum viae pervenit. Tum ea sudario agitando eum salutavit, atque exspectavit dum e conspectu abiit.

'Spero mentem eius eo esse confirmatam,' inquit; et se retro vertit ut de colle curreret. 'Nunc, si ultimum rivulum transiero, Regina fiam! Quam magnificum id audire est!'

Passus paucos progressa, ad ripam rivuli pervenit.

'Nunc demum ad Octavum Quadratum adveni!' exclamavit; atque rivulum transiluit

.   .   .   .   .
  .   .   .   .
.   .   .   .   .

et quiescendi causa in pratulum se demisit, ubi herba tam mollis quam muscus erat, parvaeque areae passim floribus satae sunt.

'Ah, quantum gaudeo me nunc demum huc pervenisse! Quid autem est hoc quod in capite meo situm est?' voce perturbata exclamavit.

Manibus sublatis rem ponderosam, quae ad caput eius arte accommodata est, tetigit.

'At quomodo vero me inscia ibi imponi potuit?' sibi dixit.

Rem capite sublevatam in gremium suum posuit, ut discerneret quid re vera esset.

Corona aurea fuit.



CAPUT NONUM

ALICIA REGINA

'Hoc vero magnificum est!' Alicia dixit. 'Numquam speravi me tam cito Reginam fore — atque de hoc monenda es, O Domina Augusta,' severe perrexit (semper enim ad se increpandam propensa erat); 'isto modo in herba otiose recumbere non omnino decet! Reginas scilicet moribus decoris esse oportet!'

Itaque exsurrexit et circum ambulavit — principio pedetemptim, quod verebatur ne corona decideret. Sed hoc ei solatio fuit, quod nemo eam videre poterat.

'Si quidem re vera Regina sum,' dixit, cum rursus resedisset, 'eam satis bene librare serius ocius potero.'

Cum omnia tam inusitato modo fierent, non multum admirata est quod Reginam Rubram et Reginam Albam prope se in utroque latere sedere animadvertit.

Ei libuisset eas rogare quo modo eo pervenissent; sed timuit ne hoc fortasse inurbanum esset.

Eis autem offensioni non fore putavit rogare num lusus confectus esset.

Reginam Rubram timide intuita, dicere coepit: 'Velim mihi dicas, sis —'

'Loquere solum tum cum appellata es!' Regina Rubra acriter interpellavit.

'At si omnes ea ratione utantur,' Alicia dixit (semper parata ad disputandum erat), 'et si solum tum cum appellatus sis loquaris, et si alter exspectet dum tu incipias, nemo scilicet umquam quidquam dicat; itaque —'

'Ineptias dicis!' Regina exclamavit. 'Nonne enim vides, puella —'

Hic fronte contracta intermisit; atque, paulum meditata, de alia re dicere subito coepit.

'Quid in animo habes cum dicis "Si quidem re vera Regina sum"? Quo iure te Reginam appellas? Regina esse scilicet non potes dum inquisitione ordinaria probata eris. Atque quo citius probationem incipiemus, eo melius erit.'

'Modo dixi "Si —",' misera Alicia voce flebili se excusavit.

Reginae ambae inter se intuitae sunt. Regina Rubra, paulum horrescens, dixit, 'Ea dicit se modo dixisse "Si —"'

'At multo plus eo dixit!' Regina Alba, manibus inter se innexis, gemuit. 'Nimio vero plus eo!'

'Dixisti quidem plus,' Regina Rubra Aliciae dixit. 'Semper dic vera — cogita antequam loqueris — atque id postea perscribe!'

'Certo nolui significare —' Alicia dicere incipiebat, cum Regina Rubra eam interpellavit.

'Id ipsum queror! Significare debuisti! Quid enim puella significatione carens proficit? Etiam iocus aliquid significare debet — puellaque utique pluris quam iocus valet. Id negare non possis, etiamsi manibus ambabus coneris.'

'At negationem manibus non facio,' Alicia contra dixit.

'Ita esse nemo affirmavit,' inquit Regina Rubra. 'Dixi fore ut tu, is id conareris, non posses.'

'Mente tam confusa ea est,' Regina Alba dixit, 'ut quidpiam negare velit, nec tamen certa sit quid negare debeat!'

'Animus taeter turpisque ei est,' inquit Regina Rubra.

Tum paulum temporis omnes morose siluerunt.

Regina Rubra, silentio rupto, Reginae Albae dixit, 'Te invito ad Aliciae convivium hodiernum.'

Regina Alba, languide subridens, dixit, 'Ego quoque te invito.'

'Omnino nesciebam me convivium daturam esse,' inquit Alicia; 'sed, si convivium habeatur, me utique, opinor, hospites invitare oporteat.'


'Facultatem id faciendi tibi dedimus,' Regina Rubra dixit;

'sed, ut mihi videtur, non multum adhuc bonos mores dictatis didicisti.'

'Boni mores dictatis non docentur,' inquit Alicia. 'Dictatis scilicet rationes computare et alia talia discas.'

'Scisne Additionem facere?' Regina Alba rogavit. 'Quot sunt unum et unum et unum et unum et unum et unum et unum et unum et unum et unum?'

'Nescio,' Alicia dixit; 'in computatione erravi.'



'Additionem facere non potest,' Regina Rubra interpellavit. 'Potesne Deductionem facere? Novem deduc ab octo.'

'Novem ab octo deducere scilicet non possum,' Alicia prompte respondit. 'Sed —'

'Deductionem facere non potest,' Regina Alba dixit. 'Potesne Divisionem facere? Panem divide cultello — quid inde efficis?'

'Puto —' Alicia dicere incipiebat, cum Regina Rubra eius vicem respondit. 'Nempe frusta panis. Proba nunc hoc aliud Deductionis exemplum. A cane os deduc. Quid restet?'

Alicia meditata respondit: 'Os certo, si id capiam, non restet — et canis non restet; veniat enim ad me mordendam — et ego profecto non restem!'

'Putasne igitur fore ut nihil restet?' Regina Rubra dixit.

'Rem sic solvi opinor.'

'Ut soles, erras,' inquit Regina Rubra. 'Temperantia canis restet.'

'At non video quomodo —'

'Cogitadum!' Regina Rubra exclamavit. 'Nonne canis temperantiam perdat?'

'Fortasse,' Alicia caute respondit.

'Si ergo canis abeat, temperantia eius restet!' Regina exclamavit.

Alicia quam gravissime dixit, 'Sed in contrarias partes ire possint.' Sed nihilominus secum reputavit, 'Quam insulsas quidem gerras loquimur!'

'Arithmeticam tractare non omnino ea potest!' Reginae simul vehementer dixerunt.

Tantum culpari Aliciae non gratum fuit. Ad Reginam Albam subito versa dixit, 'Tune Arithmeticam tractare potes?'

Regina, anhelitu ducto, oculos clausit.

'Additionem quidem tractare possum,' dixit, 'si mihi satis temporis concedis — sed Deductionem facere nullo omnino modo possum!'

'Nempe Abecedarium cognovisti?' Regina Rubra dixit.

'Sane id cognovi,' Alicia dixit.

'Ego quoque id cognovi,' Regina Alba susurravit. 'Id saepe, deliciae, simul pronuntiemus. Et aliquid tibi dicam quod nobis arcanum sit — scio verba unius litterae legere! Nonne id mirum est? Noli tamen de eo desperare. Aliquando tandem tu quoque hoc disces!'

Hic Regina Rubra denuo loqui coepit. 'Potesne quaestionibus utilibus responsa dare? Quo modo panis praeparatur?'

'Illud scio!' Alicia acriter dixit. 'Florem tritici sumas —'

'Ubi florem carpas?' Regina Alba rogavit. 'Utrum in horto an in saepibus?'

'Flos tritici vero non carpitur; molaribus conteritur —'

'Num molaribus eum mandas priusquam coquatur?' Regina Alba dixit. 'Tot res praetermittere non debes.'

'Caput ei flabellando refrigera!' Regina Rubra anxie interpellavit. 'Sine dubio tanta cogitatione febriculosa est.'

Itaque operam dederunt ut frondibus eam flabellarent, donec capilli eius tam incompositi facti sunt ut eas desistere iubere cogeretur.

'Nunc demum ea bene se habet,' Regina Rubra dixit. 'Habesne Linguarum scientiam? Quomodo "Fidel-di-di" Gallice redditur?'

'At "Fidel-di-di" Latinum non est,' Alicia graviter respondit.

'Nemo ita esse affirmavit!' Regina Rubra dixit.

Modus sui hac difficultate exsolvendae praeberi Aliciae visus est.

'Si mihi dices cuius linguae "Fidel-di-di" sit, tibi dicam quomodo Gallice reddatur!' elate exclamavit.

Regina Rubra autem gestu severo se erexit, et dixit, 'Reginae numquam pacta iungunt.'

'Utinam Reginae numquam rogitarent!' Alicia secum reputavit.

'Ne sic altercemur,' Regina Alba anxie dixit. 'Quid gignit fulgur?'

'Fulgur gignitur tonitru,' Alicia asseveranter dixit; nam hoc pro certo habuit. 'Non, non ita est,' sententia permutata properanter perrexit. 'Contrario modo fieri dicere volui.'

'Nimis sero te correxisti,' Regina Rubra dixit. 'Si quid semel dixisti, mutari non potest, atque quodcumque evenerit perpeti tibi necesse est.'

'Id me commonet —' Regina Alba dixit. Despexit, et manus sollicite vicissim iunxit et relaxavit. 'Proximo Martis die — vel potius uno de proxima serie dierum Martis — procella tonitruum et fulminum formidulosa fuit.'

'In nostra terra,' inquit Alicia, 'dies singuli computantur.'

'Iste miser exilisque modus agendi est,' Regina Rubra dixit. 'Hic autem plerumque bini aut terni dies noctesque fiunt;

hieme vero nonnumquam fortasse quinque noctes coniunctas — scilicet caloris gratia — degimus.'

'Noctesne quinque ergo calidiores una nocte sunt?' Alicia rogare ausa est.

'Nempe quinque partibus calidiores.'

'At etiam quinque partibus frigidiores esse debent —'

'Ita vero est!' Regina Rubra dixit. 'Quinque partibus calidiores atque quinque partibus frigidiores — ut ego itidem quinque partibus divitior te sum, et tanto sollertior!'

Alicia, suspirio ducto, desperavit. Sibi dixit: 'Nihil differt ab aenigmate inexplicabili!'

'Ovalius Crassus quoque procellam vidit,' Regina Alba voce submissa dicere perrexit, quasi sibi loqueretur. 'Ad ianuam, forcipem manu tenens, venit —'

'Quam ob rem?' inquit Regina Rubra.

'Se intrare iportere perseveravit,' Regina Alba porro dixit, 'quod hippopotamum inquireret. Forte tamen eo die nullus hippopotamus in domo erat.'

'Num plerumque est?' Alicia demirata rogavit.

'Sane diebus Iovis solis,' inquit Regina.

'Equidem ego scio quam ob rem venerit,' Alicia dixit. 'Pisces punire voluit, quod —'

Hic Regina Alba iterum loqui coepit.

'Procella maior fuit quam imaginari potes!' ('Illa quidem imaginari numquam poterat,' inquit Regina Rubra.) 'Atque fragmen tecti convulsum est, et plurimum tonitrus in domum penetravit — et magnae tonitrus massae circum conclave volutatae sunt — et mensas et aliam supellectilem subverterunt — ita ut postremo tam territa essem ut ne nominis mei ipsius quidem reminisci possem!'

Alicia secum reputavit, 'Si calamitas immineat, ego ne coner quidem nominis mei reminisci! Quid enim proficiat?'

Non tamen clara voce hoc dixit, ne animum miserae Reginae offenderet.

'Domina Regina, te oportet veniam ei dare,' Regina Rubra Aliciae dixit. Manum Reginae Albae prensatam manibus suis leniter permulsit. 'Bene se gerere quidem vult, sed facere non potest quin plerumque inepta dicat.'

Regina Alba Aliciam timide intuita est. Haec putavit se aliquid comiter dicere oportere, sed quid dicere deberet dubia fuit.

'Non vero bene educata est,' Regina Rubra porro dixit. 'Sed mirum est quam mitis sit. Si caput eius permulcebis, valde delectabitur!'

Sed hoc facere Alicia non ausa est.

'Paulum indulgentiae — et calamistri usus — miro modo ei prosit —'

Regina Alba, suspirio penitus tracto, caput suum umero Aliciae imposuit. 'Quam somniculosa fio!' gemuit.

'Misella quidem defessa est!' Regina Rubra dixit. 'Capillos ei come — pilleolum dormitorium tuum ei commoda — et ei blande lalla.'

'Pilleolus dormitorius in praesenti mihi non est,' Alicia dixit, dum capillos Reginae comere conatur, 'nullasque nenias blandas cognovi.'

'Mihi ipsi igitur cantare necesse est,' Regina Rubra dixit; et sic coepit:

'Ab Alicia fota, es silens, amata!
Paulum dormi, si vis, dum sit cena parata:
Dein saltationes post cenam sequentur —
His Alicia et duae Reginae fruentur!'

'Nunc verba neniae cognovisti,' addidit. Caput suum altero Aliciae umero imposuit. 'Itaque mihi eam decanta! Ego quoque somniculosa fio.'

Ambae Reginae confestim somno vinctae sunt, et stertentes fremitum edebant.

'Quidnam facere debeo?' Alicia exclamavit.

Magna haesitatione circumspexit. Primo alterum, deinde

alterum caput rotundum de umero eius delapsum est, et in gremio eius magno pondere iacebat.

'Numquam antehac accidisse puto,' inquit, 'ut duabus Reginis dormientibus simul praesidendum sit! Numquam vero in tota Historia Regni — accidere vero non potuit, quod numquam antea plures simul una Regina fuerunt.'

'Expergiscimini, obsecro, ponderosae ut estis!' stomachose



perrexit. Sed praeter strepitum stertentium nullum responsum datum est.

Sonitus stertentium usque clarior fiebat; et Aliciae concentus quidam inde fieri visus est.

Denique etiam verba carminis noscitare visa est. Tam attente auscultavit ut, cum capita ambo a gremio eius subito evanuissent, haec abesse vix sentiret.

Ante ostium fornicatum stabat. Supra magnis litteris inscripta sunt verba ALICIA REGINA. In utraque parte ansa tintinnabuli fuit — altera 'Hospitum Tintinnabulum', altera 'Famulorum Tintinnabulum' denotata.

'Dum finis carmini fiat opperiar,' Alicia sibi dixit; 'deinde ansam prehendam — sed utrius tintinnabuli ansam prehendere

debeo?' In nominibus multum haesitavit. 'Hospes non sum, neque sum famula. Tintinnabulum scilicet esse oportet "Regina" notatum —'

Hic ianua paululum aperta est, et animans longo rostro praeditum caput repente ex ostio protrusit, et dixit 'Nemini intrare



licebit in proximum nundinum.' Deinde cum strepitu ianuam rursus clausit.

Diu frustra Alicia ianuam pulsavit et tintinnabulum agitavit. Denique Rana mascula vetustissima, quae sub arbore sedebat, surrexit et lente ad eam claudicans processit.

Veste clara et flaventi induta est, et caligis maximis calceata est.

'Quid ergo vis?' Rana voce gravi raucaque susurravit.

Alicia se vertit, cupida enim cuiuspiam culpandi erat.

'Ubi est famulus cui ad ianuam respondere officium est?'

'Ad quam ianuam?' Rana dixit.

Alicia ob lentum sermonem eius tantopere irritata fuit ut humum pede paene irate pulsaret. 'Nempe ad hanc ianuam!'

Rana paulum temporis magnis et hebetibus oculis ianuam conspexit. Tum propius accessit, et pollice eam trivit, quasi experiretur si pigmentum detergeri posset. Deinde Aliciam aspexit.

'Ianuae respondere?' dixit. 'Quidnam ea rogavit?' Hoc tam rauca voce dixit ut Alicia vix audire posset.

'Nescio quid dicere velis,' ea inquit.

'Nonne Latine loquor?' Rana perrexit. 'An surda es? Quid te ianua rogavit?'

'Nihil omnino!' Alicia stomachose dixit. 'Eam aliquamdiu pulsavi!'

'Id fieri non oportet — sane non oportet,' Rana mussavit. 'Scilicet eam vexat.'

Tum processit, et ianuam uno pedum magnorum calcitravit.

'Si eam non offendes,' anhelans dixit, dum rursus ad arborem claudicat, 'ea scilicet te non laedet.'

Hic ianua subito vi reclusa est, et vox acuta audita est quae cantavit:

'Speculicolis ait Alicia vero,
"Manu teneo sceptrum, tiaramque gero:
Speculicolis omnibus do invitatum,
Cum Reginis accedant et mecum cenatum!"'

Atque voces innumerabiles chori modo una cantaverunt:

'Ergo pone citissime pocula plena,
Fibulisque consperge mensam et avena:
In lac pone feles, in vinum mures —
Reginae propinans bis ducenties!'

Inde strepitus confusus conclamantium secutus est.

'Bis ducenta sunt quadringenta,' Alicia secum reputavit; 'demiror num quis numerum computet.'

Mox rursus silentium fuit, et eadem vox acuta plures versus cantavit.

'"Speculicolae," inquit, "adeste, vos oro!
Vos audire, videre sinendo honoro;
Venire honori est atque pergratum
Cum utraque Regina et mecum cenatum!"'

Tunc chorus denuo repetivit:

'Impone mel scyphis, infunde encaustum,
Aliumve porro delectabile haustum;
Sabulo tum et lana potum temperes,
Et Reginae propines bis sescenties!'

'Bis sescenties!' Alicia desperanter iteravit. 'Illa summa numquam complebitur! Melius mihi est statim ingredi —'

Itaque intravit; et simul atque apparuit, silentium ubique fuit.

Cum per magnum conclave progrederetur, Alicia mensam anxie contemplata est. Ferme quinquaginta hospites omnium generum adesse animadvertit; inter eos etiam flores nonnulli erant.

'Gaudeo quod, priusquam invitarentur, advenerunt,' sibi dixit. 'Non omnino scivissem quos invitare deberem!'

Ad extremam mensam tres sellae erant, quarum duas Regina Rubra et Regina Alba assumpserant; media autem sella vacua erat.

Alicia consedit. De silentio anxia erat, et quempiam loqui valde cupiebat.

Tum demum Regina Rubra loqui coepit.

'Iuris et piscium fercula praetermisisti,' inquit. 'Carnem assam adferte!'

Famuli ante Aliciam femur ovillum apposuerunt. Ea satis dubie id contemplata est, nam numquam antea caro ei secanda erat.

'Verecunda esse videris; velim te femori ovillo notam facere,' Regina Rubra dixit. 'Alicia, hoc est Femur Ovillum; Femur Ovillum, haec est Alicia!'

Femur Ovillum in patella exsurrexit, et ad Aliciam cervicem urbane inclinavit. Ea vicissim id salutavit; nescivit utrum timere an oblectari deberet.



'Licetne mihi frustum carnis tibi dare?' dixit. Cultello et furcilla prehensis ab altera ad alteram Reginam respexit.

'Immo vero non,' Regina Rubra nervose dixit. 'Boni usus non est quempiam consecare quem amice consequare. Carnem assam auferte!'

Famuli, carne ablata, placentam magnam, sebo uvisque passis coctam, in eius vicem attulerunt.

'Si tibi placet, placentae nota fieri nolo,' Alicia festinanter dixit, 'aliter non omnino cenabimus. Licetne mihi tibi aliquid dare?'

At Regina Rubra vultu moroso fremuit, 'Placenta, haec est Alicia; Alicia, haec est Placenta. Placentam auferte!'

Famuli eam abstulerunt priusquam Alicia ei nutu salutanti respondere posset.

Non tamen putavit solam Reginam Rubram iussa dare oportere. Itaque experiendi causa exclamavit 'Famule! Placentam refer!'

Statim placenta rursus apparuit velut praestigiis relata.

Tanta erat ut Alicia coram ea, sicut coram Femore Ovillo, animo dubio et verecundo esset. Verecundia tamen magna vi repressa, Reginae Rubrae frustum porrexit.

'Nimis insolenter te geris!' Placenta dixit. 'Quonam animo tu sis, si ex te, molesta ut es, frustum exsecem?'

Alicia, eam intuita, facere non potuit quin spiritum aegre duceret.

'Dic aliquid,' Regina Rubra dixit; 'absurdum est placentam solam sermocinari!'

'Admodum multi vero versus poetici mihi hodie recitati sunt,' Alicia dicere coepit. (Paulum territa est quod, simul atque loqui coepit, silentio ubique facto, omnes intentis oculis eam intuiti sunt.)

'Atque maxime mirum mihi videtur quod in omnibus poematibus nescio quo modo de piscibus dissertum est. Scisne cur omnibus hic incolis tantum studium piscium sit?'

Reginam Rubram allocuta est; ea responsum incongruens reddidit.

'Quantum ad pisces attinet,' ore ad aurem Aliciae apposito, lentissime et gravissime dixit, 'Regina Augusta Alba aenigma venustum novit — totum versibus compositum — quod totum ad pisces pertinet. Idne recitare ei licet?'

'Regina Augusta Rubra comis fuit, quod eius mentionem fecit,' Regina Alba, velut columba susurrans, voce blanda dixit. 'Incredibiliter me delectet! Licetne mihi id recitare?'

'Id velim quidem,' Alicia urbanissime dixit.

Regina Alba delectata risit, et genam Aliciae permulsit. Deinde sic coepit:

'"Primo debet piscis prendi."
Facile est: eum infans prendere potuit.
"Cura piscis sit emendi."
Facile est: emi assis pretio potuit.

"Deinde piscis mi coquatur!"
Facile est: brevi enim id quilibet faciat.
"In patella tunc ponatur!"
Facile est, cum iam in patella is iaceat.

"Huc apporta alimentum!"
Facile ad mensam ferre patellam est cuivis.
"Tolle nunc operimentum!"
Id tam arduum est ut tanta desit mihi vis!

Velut glutine tenetur —
Nec separatim a patella vult ire:
Quid facilius putetur,
Aenigma aperire, an piscem deoperire!'

'De hoc paulum cogita, tum fac coniecturam,' Regina Rubra dixit. 'Interim tibi propinabimus — Aliciae Reginae salutem propinemus!' summa voce vociferata est.

Statim hospites omnes ei salutem propinare coeperunt; et mirum quidem in modum rem gesserunt.

Alii pocula vitrea in capita sua deposuerunt (velut opercula quibus candelae exstinguuntur), et quodcumque de genis eorum destillavit biberunt.

Alii, lagenis subversis, vinum dum de marginibus mensae manat biberunt.

Tres autem (qui specie similes animalium marsupialium erant) manibus pedibusque in patellam assae carnis ovillae ascenderunt, et ius ligurire coeperunt.

'Similes sunt porcorum in alveo,' sibi dixit Alicia.

'Oratione compta te gratias agere oportet,' Regina Rubra dixit. Simul, ad Aliciam versa, frontem contraxit.

'Nobis scilicet fulcienda es,' Regina Alba susurravit.

Alicia, gratias agendi causa, obedienter quidem sed timide surrexit.

'Grata erga vos sum,' susurrans respondit, 'sed nullo adiuvante satis bene agam.'

'Id non omnino conveniat,' Regina Rubra vehementer dixit. Itaque Alicia comiter eis concedere conata est.

(Postea, cum sorori suae de cena narraret, dixit, 'Sane quam me truserunt; putavisses eas me totam comprimere velle!')

Satis difficile vero ei fuit locum suum retinere cum orationem haberet. Reginae duae in utroque latere tanta vi eam contruserunt ut in aerem eam paene sustulerint.

'Ad gratias agendas surgo —' Alicia dicere coepit. Et, dum loquitur, re vera paululum in aerem consurrexit. Margine mensae tamen comprehensa, se deorsum rursus trahere potuit.

'Cave tibi!' Regina Alba, coma Aliciae utraque manu prehensa, vociferata est. 'Nescio quid eventurum est!'

Tunc (sic enim Alicia postea hoc enarravit) permulta et varia simul extemplo evenerunt.

Omnes candelae ad lacunar succreverunt, et speciem fere iuncorum palustrium cacuminibus igniferis praebuerunt.

Ampulla quaeque duo catilla alarum loco, duasque furcillas crurum loco sibi cito accommodavit, et huc illuc volitavit.

'Simillimae quidem avium videntur,' Alicia secum reputavit (quod propter perturbationem horrendam, quae tunc incipiebat, difficile fuit).

Iam tunc risum raucum prope se audivit. Se vertit ad cognoscendum quid Regina Alba pateretur. At non Regina, sed Femur Ovillum in sella sedebat.

'Ecce me!' vox ex vase iuris exclamavit. Alicia, rursus versa, in ipso articulo Reginae vultum latum et benignum vidit, quae, risu rictum deducens, super margine vasis iuris eam paululum temporis contemplata est, deinde in ius evanuit.



Extemplo ei agendum erat. Hospites complures in patinis iam iacebant; et cochlearium iuris, ad Aliciam in mensa accedens, nutu ei denuntiabat ut sibi de via decederet.

'Hoc diutius ferre non possum!' Alicia exclamavit; atque utraque manu linteum mensae apprehendit.

Hoc semel vehementer retraxit; et patellae et lances et hospites et candelae magno strepitu et fragore in solum confuse corruerunt.

'Quantum autem ad *te* attinet—' perrexit. Simul Reginae Rubrae vehementer adversata est (eam enim auctorem totius mali esse putavit).

At Regina iuxta eam nunc non sedebat. Repente in parvae pupae modum decreverat; atque in mensa hilare circum usque currebat, suumque ipsius amiculum insectabatur, quod a tergo trahebatur.

Alias vero Alicia hoc mirata esset, sed animo multo commotior erat quam ut quidpiam tunc miraretur.

'Quantum ad *te* attinet,' iteravit, pusillam apprehendens cum modo supra ampullam transiliret quae in mensam deciderat, 'te vero in formam catulae felinae quassabo!'




CAPUT DECIMUM

QUASSATIO

SIMUL, hoc dicens, eam de mensa sustulit, et summa vi ultro et citro quassavit.

Regina Rubra, nihil reluctans, hoc perpessa est: sed facies ei sane quam parvula facta est, atque oculi eius magni et virides facti sunt.

Et dum Alicia eam quassabat, usque fiebat humilior — et obesior — et mollior — et rotundior — et —



CAPUT UNDECIMUM

MUTATIO

— et ad postremum re vera erat catula felina.

CAPUT DUODECIMUM

QUISNAM HOC SOMNIAVIT?

'O Regina Rubra Augusta, tibi tanto sono non est murmurandum,' Alicia dixit. Oculos suos tersit, et catulam officiose sed satis severe allocuta est.

'Me ex somnio nescio quam suavi expergefecisti! Et una mecum fuisti, Catula mea — donec inter Speculicolas eram. Idne scivisti?'

Mos incommodissimus catulis est (sic Alicia olim dixerat), quod, quaequae eis dicas, murmur *semper* edunt.

'Si modo murmur cum assentire vellent, et fremitum cum negare vellent ederent, aut quadam formula eius modi uterentur,' dixerat, 'tum cum eis colloqui posses! Sed quomodo vero cum aliquo sermocinari potes, si idem semper dicit?'

Hoc tempore catula modo murmuravit, nec coniectari potuit utrum 'ita vero' an 'non' dicere vellet.

Itaque Alicia inter latrunculos in mensa inquisivit, donec Reginam Rubram invenit. Deinde in genibus in stragulo procubuit, atque catulam et Reginam ita deposuit ut inter se intuerentur.

'Vide, Catula mea!' exclamavit; et manibus elate plausit. 'In hanc te conversam esse tibi confitendum est!'

('At catula latrunculum intueri noluit,' dixit, cum postea sorori suae rem explanaret. 'Capite averso se Reginam non videre simulavit. Sed eam paulum sui pudere visum est. Ea igitur, opinor, sine dubio Regina Rubra fuit.')

'Paulo firmius sede, deliciae!' Alicia risu hilari dixit. 'Et genu flecte dum excogitas quid debeas — murmurare. Hoc memento; compendium temporis facit!'

Catulam amplexa est, atque ei osculum unum dedit; 'solum ut honorem ei tribuam quod olim Regina Rubra fuit!' sibi dixit.

'Galantha mea!' perrexit, Catulam Albam ex obliquo intuita, quae aequo animo se detergeri etiam patiebatur. 'Quando vero Dina lavationis tuae finem fecerit? Nempe ea de causa in somnio meo tam incompta fuisti. Dina, scisne te Reginam Albam defri-



care? Vero valde insolenter agis, atque te ita facere magnopere miror!'

'Atque demiror in quam personam Dina conversa sit,' porro garrivit. Cubito uno in stragulo nixa, mento manu fulto, iucunde accubuit ut catulas spectaret.

'Dic mihi, Dina; conversane es in Ovalium Crassum? Ita fuisse opinor; cum autem hoc pro certo non habeam, de eo amicis tuis mentionem nondum facere debes.'

'Ut obiter dicam, Catula mea, si vero mecum in somnio meo

fuisses, una utique re delectata esses — tanta vis versuum mihi recitata est, omnesque versus ad pisces attinebant.'

'Cras mane tibi magnam delectationem praebebo. Quamdiu ientaculum edes, tibi "Phoca et Faber" recitabo. Sic vero, cara mea, te ostreas edere simulare poteris!'

'Consideremus nunc, Catula mea, quis hoc omne somniaverit. Quaestio scilicet valde gravis est, deliciae; neque te pedem sic usque lambere oportet — quasi Dina hodie mane te non lavisset!'

'Necessario videlicet, Catula mea, aut ego hoc somniavi aut Rex Ruber. Is certe particeps mei somnii fuit — et ego quoque particeps eius somnii fui!'

'Fuitne Rex Ruber, Catula mea? Tu fuisti uxor eius, deliciae: te igitur scire oportet. Adiuva me, sis, Catula mea, ad rem expediendam! Paulum morae pedi tuo non oberit!'

At catula pervicax tantum pedem alterum lambere coepit; et se Aliciam rogantem non audivisse simulavit.

Cuius somnium tu opinaris fuisse?

. . . . .

LEWIS CARROLL'S ACROSTIC POEM

A boat, beneath a sunny sky Lingering onward dreamily In an evening of July —	Aestivo mense Iulio Lintriculus crepusculo Innabat rivum lucido —
Children three that nestle near, Eager eye and willing ear, Pleased a simple tale to hear —	Concordes tres puellulae, Et animo laetissimae, Praebebant aures fabulae —
Long has paled that sunny sky: Echoes fade and memories die: Autumn frosts have slain July.	Longinqua nunc memoria Evanuit ut nebula Autumni gelu perdita.
Still she haunts me, phantomwise, Alice moving under skies Never seen by waking eyes.	Sollicitor Aliciae Adhuc iam umbra hilarae Nova in terra pervagae.
Children yet, the tale to hear, Eager eye and willing ear, Lovingly shall nestle near.	Coibunt posthac aliae Erecta mente avidae Laetificantis fabulae.
In a Wonderland they lie, Dreaming as the days go by, Dreaming as the summers die:	In Terra Mira somniant, Dum res fugaces avolant Diesque aestatis dissipant:
Ever drifting down the stream — Lingering in the golden gleam — Life, what is it but a dream?	Errantes leni fluvio Laetantur lumine aureo — Labiturne vita in somnio?

'JABBERWOCKY': AN ALTERNATIVE VERSION

GABROBOCCHIA

Est brilgum: tovi slimici
  In vabo tererotitant;
Brogovi sunt macresculi,
  Momi rasti strugitant.

"Fuge Gabrobocchum, fili mi,
  Qui fero lacerat morsu:
Diffide Iubiubae avi;
  Es procul ab Unguimanu!"

Vorpalem ensem extulit;
  Hostem quaesivit manximum —
Tumtumi stirpi astitit,
  Et extudit consilium.

Subtectim consultante eo,
  En, Gabrobocchus flammifer
Ex luco sprinxit tulgido
  Perbullans usque ugriter.

Tum semel, bis et iterum
  Vorpale ferrum pupugit:
Necati caput exanimum
  Citumphans retro rettulit.

"Num Gabrobocchus periit?
  Gaudiferum amplectar te!
Dies frabiosus! Graustus sit!"
  Suffremuit praehilare.

Est brilgum: tovi slimici
  In vabo tererotitant;
Brogovi sunt macresculi,
  Momi rasti strugitant.

GLOSSARIUM

amiculum	shawl
animal marsupiale	kangaroo
asellus	haddock
Asinasilus Vacillans	Rocking-horse-fly
bellis	daisy
Calidopteryx	Snap-dragon-fly
campana	bell
castellum	rook (chess)
Domus Intraspecularis	Looking-Glass-House
ferramentum foci	poker
flos tritici	flour
fumi emissarium	chimney
Galantha	Snowdrop
latro, latrunculus	chessman; pawn
manica	sleeve
mons igniferus	volcano
murmurare	to purr
olfactorium	smelling-salts
Ovalius Crassus	Humpty Dumpty
panicellus tostus	biscuit
Panipapilio	Bread-and-butter-fly
Pipilo	Tweedledum
sclopetum	gun
Sibilo	Tweedledee
Silvirapus	Bandersnatch
Speculicola	Looking-Glass creature
taberna tesserarum	ticket-office
Taetriferox	Jabberwock
texere acibus	to knit

thesaurus verborum	dictionary
tignum manuale	hand-rail
trade te!	check! (chess)
transtrum	bar (of grate); seat (of boat)
turbo	top, teetotum
via ferrata	railway